

NUNTIA



PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS
RECOGNOSCENDO

NUNTIA

Directio: PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO
VIA DELLA CONCILIAZIONE, 34 - 00193 ROMA

Administratio: LIBRERIA EDITRICE VATICANA - CITTA' DEL VATICANO

1982

INDEX

	pagine
Schema canonum de tutela iurium seu de processibus . . .	3-106
Index schematis	107-108
Nostre informazioni	110-111

Tres naviculae symbolice plures Ecclesias Orientales sui iuris significant quae eadem directione — codice communi nempe — per mare vitae animas ad salutem ducunt ut πηδάλιον, kormčaja, al-huda.

N U N T I A

**PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS
RECOGNOSCENDO**

SCHEMA CANONUM DE TUTELA IURIUM SEU DE PROCESSIBUS

Animadversio: Schema quod, speciali facultate pro hac Commissione obtenta, hic lectori proponitur, die 27 mensis Februarii vertentis anni ad Organa Consultationis transmissum est, ut animadversiones suas non ultra diem 30 mensis Septembris eiusdem anni proponere possint.

Praenotanda

Schema *De tutela iurium seu de processibus*, quod ad recensionem Organorum consultationis, omni studio ad id collato, hisce paginis porrigitur, maxima ex parte ad recognitionem canonum in Apostolicis Litteris « Sollicitudinem Nostram » motu proprio die 6 Ianuarii 1950 datis, refertur, paucis novis sectionibus, etsi non compendiosis gravioris tamen momenti, additis, nempe sectionibus quae de causis separationis coniugum (cann. 326-330) ac de praesumpta coniugis morte (can. 331) agunt, aut de normis in processibus de recursibus adversus decreta administrativa (cann. 369-398) vel in irrogatione poenarum per decretum (cann. 367-368) servandis tractant.

His novis sectionibus tamen numerus complexivus canonum minime auctus est, quin immo 576 canones, per praedictas Apostolicas Litteras promulgati, satis numero reducti sunt. Schema enim praesens 398 canonibus constat.

Consultoribus Commissionis *Coetus a Studiis de Processibus* sodalibus visum non est adeo necessarium vel immo conveniens in Codice Orientali de processu « ad dispensationem super matrimonium ratum non consummatum » vel « ad matrimonii solutionem in favorem fidei obtinendam » aut de processu in « causis Sanctorum » vel « causis de Sacra ordinatione » quidquam aliud asseri nisi ut in his sedulo serventur speciales normae a Sede Apostolica latae (canones 2, 3, 325, 332). Haec enim *Normae* ad diversorum Romanae Curiae Dicasteriorum exclusivam competentiam attinent, ideoque ad Codicem orientalem non pertinent. Nec utile visum est quosdam tantummodo canones, ex ipsis his *Normis* depromptos, in Codicem inseri. Nam tribunalia nihilominus, non ad Codicem, sed ad has *Normas* in praxi recursum habebunt. Etenim in *Normis* istis, simul cum canonibus in Codicem receptis

aliae sat minutae praescriptiones inveniuntur, omnibus in proprio contextu positis.

De divisione schematum in titulos in *Nuntia* 11 pag. 83-89 satis dictum est.

Hic tamen unum manifestare opus est, titulum nempe postremum huius fasciculi, interim numerum XXVII habere. Plures tamen Consultores Commissionis putant naturae rerum magis congruere, ut haec Codicis sectio immediate post titulum « De potestatis regiminis exercitio » ponatur.

In canonibus Litterarum Apostolicarum « Sollicitudinem Nostram » recognoscendis Consultores *Coetus a Studiis de Processibus* principia a Plenario Coetu Membrorum Commissionis, diebus 18-23 martii 1974 coadunato, adprobata (cf. *Nuntia* 3) secuti sunt. Inter alia Coetus Plenarius Membrorum Commissionis votum enuntiavit ut tribunalium ordinatio in Patriarchalibus Ecclesiis magis consona sit earundem sui iuris statui ac, proinde, ut causae intra ambitum harum Ecclesiarum finiantur, remotis appellationibus ad Romanae Curiae Dicasteria, firmo tamen semper uniuscuiusque christifidelis iure ad Romanum Pontificem recurrendi ad normam canonis 5 schematis (can. 32 in Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram »). Hac in provincia animadvertendum est, ad causas Patriarcharum atque in criminalibus etiam ceterorum Episcoporum quod attinet (cf. *Nuntia* 3 pag. 9 n. 3; *Nuntia* 5 pag. 10-14), tandem, a Superiore Auctoritate indicatione habita, canones 6 et 8, in Coetu a Studiis Speciali mense Januario volventis anni habito, ita denuo recognitos esse, ut omnes hae causae Romano Pontifici reservatae maneant.

Optatum a Plenario Coetu Membrorum Commissionis insuper est ut omnes catholici easdem leges processuales habeant (« si desidera che tutti i cattolici abbiano le stesse norme processuali » cf. *Nuntia* 3, p. 9). Hoc optantibus ut expeditius mos gereretur ab ipso laborum initio praesto fuerunt schemata *de Processibus* a Pontificia Commissione C.I.C. Recognoscendo elaborata ac benigne a Praesidentia eiusdem Commissionis concessa. Schemata quae ita transmissa sunt, si in pluribus placuerunt, quandoque non sunt accepta, variarum rationum causa, inter quas praecipuae hae sunt: a) diversa ordinatio tribunalium in Oriente; b) *Statuta personalia* in quibusdam regionibus vigentia; c) profunda sensus christiani et culturae orientalium aestimatio; d) hinc inde, mediis communicationis, in locorum temporumque variis adiunctis, ut videtur — meliore salvo semper iudicio —, magis congruens iustitiae administratio.

Utpote postulatis Plenarii Membrorum Commissionis Coetus consona, sectio nova « De recursibus adversus decreta administrativa » (canones 369-

398) parata est, qua speratur fore ut aptum medium defensionis cuilibet praebeatur qui ex decreto a Superiore suo legitimo dato ius suum laesum esse contendat.

TITULUS XXIII DE IUDICIIS IN GENERE

Praetermissis iis quae potius theoretica vel descriptiva sunt aut ad relationes inter ecclesiasticam et civilem auctoritatem spectant, in canonibus praeliminaribus ea tantummodo exprimuntur quae in iurisprudencia tribunalium ecclesiasticorum reapse momentum habent.

« Poena declaranda » ut obiectum iudicii in canone 4 § 1 n. 2 iam non nominatur, cum in schemate « De sanctionibus poenalibus » a Coetu a Studiis de Delictis et Poenis confecto, poenae *latae sententiae* nullae proponantur. Haec optatis Plenarii Membrorum Commissionis Coetus consona sunt (cf. *Nuntia* 3, pag. 9 n. 1).

Caput DE FORO COMPETENTI (canones 4-23) congregat canones 14-39, 46-51 et 72-76 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram », qui, recogniti, novo ordine disponuntur, qua re magna spes concipitur ut maiori perspicuitati provideatur in normis quae circa tribunalium gradus et species eorumque competentiam nunc dispersae sunt. Omnibus perpensis, visum est has universas normas, ex uno vel alio respectu saltem colligi posse sub titulo « de foro competente ».

Omissi sunt canones 78-84 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » de Sedis Apostolicae tribunalibus. Visum non est in Codice Orientali normas quasdam, quibus Tribunalia Curiae Romanae reguntur, tradi, cum ad Codicem orientalem quod attinet id unice intersit ut indubie constet quandonam causae, appellationes, vel recursus debeant vel possint ad Sedem Apostolicam deferri. A quonam vero Tribunali vel Dicasterio, quibusnam normis servatis, hae causae, appellationes vel recursus, videnda sint in ordinationibus Sedi Apostolicae propriis clarissime praescribitur.

Proponitur in canone 8 ut intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis Synodus Episcoporum eiusdem Ecclesiae Superior Auctoritas iudiciaria sit, praetermissa omni iudiciali potestate Patriarchae sive ab ipso solo sive simul cum Synodo permanenti exercenda. Potestas enim haec ipsis Episcopis, qui iure divino eam inscindibilem a ceteris episcopalibus potestatibus detinent, suadet personaliter non exercenda, varias ob rationes (cf. *Nuntia* 5 pag. 13; CIC can. 1578), quae eo magis valere videntur ubi de Patriarcha

« patre et capite » Ecclesiae Orientalis agatur. Hic proinde nonnisi ea potestate iudiciali gaudere poterit quae iure ecclesiastico, generatim ex antiqua consuetudine, ipsi confertur. In re iudiciali vero, antiqua consuetudo, etiamsi sat varia hac in provincia, Synodo potius Episcoporum superiorem auctoritatem tribuit.

Tribunal ordinarium Ecclesiae patriarchalis, ut in can. 9 schematis proponitur, fit tribunal appellationis in secunda et ulterioribus instantiis pro causis in tribunalibus inferioribus definitis. Hoc canone hierarchia tribunalium (eparchiale, metropolitanum, patriarchale) in patriarchali Ecclesia completa est, quod profecto non excludit concurrentem, et praevalem, competentiam tribunalium Summi Pontificis in iisdem causis.

Erectio tribunalium regionalium primi gradus, quae semper suadetur (can. 12), ut obligatoria proponitur ubicumque singulae eparchiae tribunalia propria quacumque de causa erigere non valent.

De tribunalibus internis monasteriorum aliorumque Institutorum vitae consecratae nulla particularis regula in schemate proponitur (can. 14). Ordinatio iustitiae intra septa horum Institutorum administrandae typicis vel statutis a legitima Auctoritate adprobatis committitur. Si vero partes non pertinent ad idem Institutum vitae consecratae vel una ex ipsis clericus eparchialis vel laicus sit, proponitur, in derogationem can. 51 § 3 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram », ut hae causae, nulla facta distinctione, omnes tractentur in prima instantia a Hierarcha loci. Distinctio vero inter clericalia et non clericalia Instituta vitae consecratae, hac in re, definitiva est. Obvium enim est, iis qui nonnisi potestate dominativa, scilicet non iurisdictionali, gaudent, ut sunt Superiores in monasteriis vel in ceteris Institutis vitae consecratae non clericalibus, committi non posse ut iudicialiter agant. Iudiciales causae inter eos qui his Institutis adscripti sunt tractandae sunt apud tribunalia ceteris christifidelibus communia.

Praescripta canonum 23-29 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » *de competentiae titulis* in unum canonem (can. 19) reducta sunt. Relicta distinctione inter *forum necessarium* et *forum liberum*, praetermisso titulo « fori Urbis », ceteri competentiae tituli, qui nunc vigent, retenti sunt. Maioris momenti mutationem iuris affert praescriptum § 2 canonis 19. In hoc § novus titulus competentiae datur, qui quodammodo « titulus communis consensus », partium nempe ac Hierarchae loci cui tribunal subicitur, vocari potest.

Ad *tribunalia collegialia* quod attinet, Consultores Commissionis sedulo examini subiecerunt quae auctores tradunt de actibus iudicialibus qui ad validitatem processus collegiali modo peracti poni debent. Omnibus perpensis, ad omne dubium in re amovendum, actus hi in canone 22 accurate

recensentur ac delimitantur. Ad minimum tamen reducti sunt, ad eos nempe actus qui effectum quomodocumque definitivum in causam habere possunt. Ceteros actus, ut in § 2 canonis praedicti dicitur, « ponens peragat, nisi collegium aliquos sibi reservat, sed non ad validitatem actuum » (cf. *Nuntia* 5, pagg. 21-22).

In capite II DE MINISTRIS TRIBUNALIUM, Patriarchae et Metropolitae facultate instruuntur (can. 25) permittendi, necessitate id suadente, ut in collegium trium iudicum unus vir laicus assumatur, qui pari atque ceteri iudices potestate iudiciali fruens sententiam de merito causae fert ac subscribat. Haec norma quoad substantiam desumitur ex Litt. Ap. « Cum matrimonialium causarum » die 8 septembris motu proprio 1973 latis. Norma tamen latius patet ac, in titulum XXIII inclusa, fit generalis pro omnibus causis valens, exceptis causis matrimonialibus de quibus strictior norma in can. 308 schematis datur.

Praescriptio ut « iudices eparchiales nonnisi presbyteri sint » (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » can. 41 § 1) substantialiter retinetur, voce tamen « clerici » loco « presbyteri » inducta, ne diaconis accessus ad hoc officium praeccludatur. Laicis hoc stabile munus conferri nequit. E contra, ad iudices auditores quod attinet, qui de merito causae sententiam minime ferunt, in can. 32 admittitur ut ipsi etiam ex laicis, mulieribus non exclusis, eligi possint, modo « bonis moribus, prudentia ac doctrina fulgeant ».

Promotoris iustitiae vel vinculi Defensoris officium laicis permanenter conferri nequit; deputari tamen possunt ad haec officia ad singulas causas, si necessitas id suadeat (can. 40 § 1).

De notario animadvertendum est substantialem iuris mutationem haberi in can. 42 § 1 schematis in quo ipsa praesentia physica notarii, non tantummodo eius actorum subscriptio, ad validitatem eorundem actorum requiritur. Eiusdem canonis § 3, de usu instrumentorum quibus voces mechanice imprimuntur, nova est.

In capite III, DE OFFICIIS IUDICUM ET MINISTRORUM TRIBUNALIUM, antepositur canon 94 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram », formulatione emendata (can. 45), de primaria iudicum obligatione omni conatu partes adiuvandi ut lites vitent et controversias modo non iudiciali de aequo et bono componant.

Exceptiones suspicionis contra iudices vocantur in schemate *exceptiones recusationis*. De cetero normae ad hoc spectantes, praeter magis perspicuam formulationem, a iuris vigentis praescriptionibus non distant.

Etsi in negotiis quae ad privatos solummodo pertinent retinetur principium iuxta quod iudex procedere non debet nisi ad instantiam partis, nihi-

lominus (can. 53 § 2) ipsi potestas negligentiam partium in afferendis probationibus vel exceptionibus apponendis supplendi expresse tribuitur « ad vitandam graviter iniustam sententiam ».

In can. 54 *termini temporis* ad sententiam in prima vel secunda instantia proferendam instituti, pro quarta parte reducuntur, celeritatis processus gratia. Maior reductio horum terminorum, a quibusdam exoptata, a Consultoribus *Coetus a Studiis de Processibus* sodalibus vix vel ne vix quidem possibilis aestimata est, praxi tribunalium optimo teste. Verumtamen ut omnis suspicio negligentiae in re amoveatur, in praedicto canone statuitur, ubi termini temporis non servantur, rationem reddendam esse Hierarchae cui tribunal subicitur (cf. *Nuntia* 5, pagg. 29-30).

In capite IV, DE TERMINIS ET DILATIONIBUS, LOCO ET TEMPORE IUDICII locutiones *fatalia legis, termini iudiciales et termini conventionales* iam non apparent, cum nihil ad perspicuitatem conferantur. Plura hoc in capite, praesertim ad locum et tempus iudicii quod spectat, ad ius particulare remittuntur.

In capite V DE PERSONIS AD IUDICIALEM DISCEPTATIONEM ADMITTENDIS... maioris momenti innovatio continetur in can. 67 § 2 schematis propositi. Statuitur enim ut partes earumve advocati adsistere possint interrogatoriis, nisi aliter a lege vel iudice dicatur. In iure vigenti res ex converso se habent cum in canone 293 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram », ad testium examen quod attinet, partes interrogatoriis adsistere prohibentur, nisi iudex eas admittendas esse censuerit. Plures Consultores *Coetus a Studiis de Processibus* sodales censent « publicitatem » canonici processus restrictam quidem permanere debere, ut in § 1 canonis statuitur, sed minime relate ad partes earumque procuratores vel advocatos. Norma quae in hoc canone proponitur generalis est, ad omnia iudicia contentiosa se extendens, attamen pro specialibus iudiciis, e.gr. in matrimonialibus causis, non valet (cf. can. 311 § 2).

Ad caput VI DE ACTORE ET PARTE CONVENTA quod attinet, maioris momenti iuris mutatio in can. 73 apparet. Quemlibet, non baptizatis haud exceptis, posse esse actorem in ecclesiasticis tribunalibus in hoc canone statuitur.

Notare iuvat etiam normam, vi cuius nunc religiosi vetantur personam in iudicio agere (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » can. 167) sine consensu Superiorum, expunctam esse ex schematibus.

In capite VII DE PROCURATORIBUS AD LITES ET ADVOCATIS ius vigen servatur, quibusdam canonibus emendatis ad formulationem praesertim quod spectat.

Caput VIII DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS a sectione eodem modo in Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » inscripta in plurimis differt.

Canones « De ordine cognitionum », qui in iisdem Litt. Ap. articulum II capitis *De disciplina in tribunalibus servanda* (can. 142-148) constituunt, sub hoc capite simul cum canonibus « de actionibus et exceptionibus » ponuntur.

Canonum sectionis « De ordine cognitionum » nonnisi primus normam generalem de ordine cognitionum continet (in schemate praesenti proinde proprio in loco retinetur, ut can. 61), ceteri vero potius ad ius substantiale de exceptionibus pertinere videntur.

Gravis iuris vigentis mutatio continetur in can. 100 schematis, quo normae iuris civilis, secus ac Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » canones, sequendae proponuntur in actionibus rescissionis actuum iuridicorum, possessoriis, sequestrationis, nuntiationis novi operis etc. Consultoribus *Coetus a Studiis de Processibus* sodalibus visum non est necesse esse hisce de actionibus normas omnibus Ecclesiis orientalibus communes praescribere, eo magis quod iis in locis in quibus *Statuta personalia* vigent ecclesiastica tribumalia praescripta iuris civilis in hisce causis praeterire nequent (cf. *Nuntia* 5, pagg. 35-39).

Alia immutatio iuris, attente consideranda, terminos temporis ad actionum praescriptionem necessarios respicit (cann. 91 et 93). Quinque annorum terminus ad extinctionem actionum contentiosarum, nulla excepta, proponitur; trium vero annorum ad extinctionem actionum poenaliu. In delictis vero Sedi Apostolicae reservatis hac in re normae speciales, ad praescriptum can. 2, servandae sunt.

De actione ad securitatem providendam filiis minoribus, causa matrimoniali pendente, canon novus in fine huius capitis additus est. Hoc modo defectus iuris hac in re completur.

In capite IX DE MODIS EVITANDI IUDICIA a iure vigenti substantialiter non fit recessus. Laudanda sectio de compromisso in arbitros, in Lit. Ap. « Sollicitudinem Nostram » extans, primaevis formis administrationis iustitiae in Ecclesia atque spiritui evangelico (I Cor. 6, 1-8) maxime consona, retinetur in paucis emendata atque hoc loco, ante titulum de iudicio contentioso ordinario, ponitur, veluti invitatio quaedam ad unumquemque christifidelem directa, ut controversias suas cum fratribus forma praeceptis christianis magis congrua componere velit, quamvis noscat ea quae de ordinatione tribunalium in Ecclesia statuuntur.

TITULUS XXIV DE IUDICIO CONTENTIOSO

Titulus hic in duo capita divisus est, quorum primus « De iudicio contentioso ordinario », XII articulis constans, schema recognitorum canonum 226-452 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » continet, alter vero recognitam sectionem, « De iudicio contentioso coram unico iudice » in iisdem Apostolicis Literis iscriptam (canones 453-467).

In capite I DE IUDICIO CONTENTIOSO ORDINARIO emendationes canonum numero sat multae sunt, verumtamen technicam iuris potissimum respiciunt, substantiali structura processus contentiosi, prout in iure vigenti habetur, servata. Quae in hac provincia maioris momenti esse videntur, sequenti modo exponi liceat.

1. Petitio iudicialis ex iure pro admissa habetur (can. 130) inutiliter lapsis decem diebus a facta instantia ut iudex, qui intra mensem ab exhibita petitione nullum decretum de ea tulit, suo munere fungatur.

2. Non modo haeres aut successor defuncti, sed etiam quilibet cuius interest litem resumere potest in casu causae suspensionis ob mortem, status mutationem vel ab officio cessationem partis litigantis (can. 142).

3. Termini temporis ad peremptionem instantiae in primo gradu iudicii iis aequantur qui de secundo gradu in iure vigenti praescribuntur (sex menses), facultate facta in iure particulari alios terminos statuendi (can. 144).

4. Tutoribus et curatoribus ius renuntiandi instantiae explicite datur, conditione tamen apposita ut ad hoc obtineant consensum Hierarchae proprii illius cuius tutores vel curatores sunt (can. 148 § 2).

5. In articulum V *de probationibus* translati sunt canones « de interrogationibus partibus a iudice faciendis » (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » cann. 264-268). Responsiones enim partium coram iudice factae ad instructionem causae pertinent atque, iudicis aestimatione, ut indicia probationum considerari possunt vel etiam, certis sub condicionibus, confessionem iudicialem constituere.

6. Sectio « de probatione per documenta » anteponitur sectioni « de testibus et attestationibus ». Ratio hic est potius convenientiae, concordantiae nempe inter varios Codices.

Elenchus praecipuorum documentorum publicorum (can. 164), qui necessario exemplificativus tantummodo remaneret, non datur. Eius loco perspicue describitur quaenam documenta veniant nomine « publicorum » sive ecclesiasticorum sive civilium.

7. Sectio « De iureiurando partium » (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » canones 352-360) omisa est, nam obsoleta, quae in praxi adhiberi nequit, ac sensui orientalium minus consona continere videtur.

8. Coercitiva iudicis potestas erga partes, testes vel peritos, de qua in canonibus 265 § 3, 277 § 3, 317 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » aboletur, cum id in praxi vix umquam quidquam ad iustitiam in tribunalibus habendam prosit. Verumtamen, *Coetu a Studiis de Processibus* id petente, in schemate « De sanctionibus poenalibus » novus canon confectus est, quo statuitur puniri posse, novo processu ac quidem poenali, eos qui « iudici legitime interroganti scienter falsum affirmant aut verum occultant » necnon eos « qui ad hoc delictum inducunt ». Notandum tamen quod in schemate retinetur potestas coercitiva iudicis in quibusdam casibus iure vigenti statutis (cf. can. 59 § 2, 67 § 3, 88 § 2, 89, 178 §: omissis vero canonibus 368 et 452 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » cf. infra n. 15 et 20).

9. De testibus suspectis (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » can. 279 § 2) nihil habetur in schemate, cum sufficere videatur praescriptum can. 193 n. 1 de aestimatione testimoniorum vi cuius honestas testis sedulo a iudice perpendenda est.

10. Locutio « reprobationis personae testis » in locutionem « exclusionis testis » mutatur (can. 177).

11. Canones de iureiurando testium (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » can. 289-291) ad unicum canonem reducti sunt (can. 179). Iusiurandum ex parte iudicis testi deferendum est, sed obligatio id emittendi non urgetur, unde etiam iniurati testes audiendi sunt.

12. « De evulgatione testimoniorum » (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » cann. 305-309) tota res ad art. VII huius tituli translata est. Cuius ratio duplex est: a) superfluum videtur testimonia antequam ceterae probationes colligantur « evulgari » cum etiam post omnium actorum publicationem novae probationes admittantur (cf. can. 223 § 1 n. 3: *Communicationes XI*, 1979, n. 1 p. 118); b) in canone 67 schematis proponitur ut ipsae partes, exclusis tamen causis matrimonialibus (can. 311 § 2), interrogationibus testium assistere possint.

13. Secundus § canonis 314 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » de condicionibus ad sufficientem probationem iure statutis, omissus est, cum iudicis discretionali potestati haec potius committenda videantur.

14. In canonibus 205-207, de praesumptionibus, ius vicens (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » cann. 348-351) substantialiter retinetur, formulatio vero sat differt, omissis terminis, orientalibus vix comprahensibilibus nec in iure necessariis, ut sunt *praesumptio iuris vel iuris et de iure*.

15. In sectione « de causis incidentibus » (can. 208-220) loco « partium contumacium » sermo est « de partibus non comparentibus ». Canones ad essentialia reducti sunt, pluribus omissis inter quae canon 369 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram », quo potestatis coercitivae usus ad frangendam rei contumaciam invocatur. In hac sectione retenti sunt etiam canones « de attentatis lite pendente » (cann. 218-220) de quibus, utrum retinendi necne, plures Consultores haesitaverunt, sed tandem convenerunt notionem attentati sine ulla restrictione extensam manere debere non tantummodo ad innovationes circa materiam litis sed etiam circa processualia iura.

16. Querela nullitatis inter « impugnationes sententiae » (canones 242-249) primo loco ponitur. Etiam si appellatio sit via ordinaria sententiam impugnandi, nihilominus aliqua ratio adest canones de querela nullitatis anteponendi, propterea quod ea si proponitur, etsi cum appellatione, semper primo loco tractanda est. Ratio hic etiam potius convenientiae est ac concordantiae Codicum gratia admittitur.

In elaborandis canonibus de querela nullitatis ac appellatione Consultores *Coetus a Studiis de Processibus* sodales fere unanimiter non admiserunt maiores iuris vigentis mutationes, motionibus contrariis sedulo perpensis sed exclusis, praesertim in iis quae vitia sanabilia vel insanabilia sententiae respiciunt.

Inter plures novos canones notare oportet canonem 242 quo proponitur, ut nullitates actorum iudicialium positivo iure statutae ab ipsa sententia sanentur, si, cum sint notae parti querelam proponenti, non sint ante sententiam iudici denuntiatae, firmis tamen canonibus 243 et 244.

In particulari notandus videtur canon 245 de nullitate sententiae ex denegato iure defensionis, quae propriam regulam exigere videtur. Novus est canon 254 de quaestione circa ius appellandi. Novus est etiam canon 259 in quo (§ 2) facultas fit promotori iustitiae vel vinculi defensori tribunalis appellationis, renuntiandi appellationi a vinculi defensore vel promotore iustitiae tribunalis inferioris propositae. Tandem terminus decem dierum ad interponendam appellationem in tribunali a quo ad quindecim dies protrahitur in can. 252.

17. In canonibus « de re iudicata » magis in particulari determinantur circumstantiae « novae causae propositionis » in controversiis de statu personarum (can. 267).

18. In canone 268 « de restitutione in integrum » nota controversia de sensu clausulae « legis praescriptum evidenter neglectum fuerit » (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » can. 432 § 2 n. 4), sive ea ad leges substantiales dumtaxat refertur sive etiam ad processuales, solvitur. In canone reco-

gnito proponitur locutio « legis non mere processualis praescriptum evidenter neglectum fuerit ». Insuper « quaelibet probationes » non tantummodo « documenta » (ibidem n. 1), sine quibus pars dispositiva sententiae non sustinetur, locum dant restitutioni in integrum, si postea falsae deprehensae sunt. Additur in eodem canone § 2 n. 5: de iniustitia manifesto constat etiam in casu sententiae quae adversatur decisioni quae in rem iudicatam transierit.

In canone 268 termini temporis ad restitutionem in integrum petendam necnon tribunal quod de ea tractare debet, accuratius ac in iure vigenti determinantur.

19. Canones « de expensis iudicialibus » simul cum iis « de gratuito patrocinio aut expensarum iudicialium diminutione » (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » can. 435-444) ad tres reducti sunt, pluribus hac in provincia praescriptis ad ius particulare remissis. Ius pauperum ad gratuitum patrocinium, cum nuntio Christi Salvatoris maxime consonans, initio huius sectionis indubiis verbis sustinetur.

20. « De executione sententiae » prominens mutatio iuris proponitur in can. 282 § 1 clausula vi cuius, iure particulari id statuente, alius quam Hierarcha loci in quo sententia primi gradus lata est, sententiam executioni mandare potest. Can. 452 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » in quo coercitiva quaedam potestas executori tribuitur, omissus est.

Caput II nunc inscribitur « *De iudicio contentioso summario* » cum ex solo iudicum numero adaequata ab ordinario processu distinctio haud possibilis sit. Quandoque enim ad normas huius summarii processus etiam tribunalia collegialia procedere debent (cf. e.g. can. 211 comparatum cum can. 23 § 1 n. 3), ac, ex converso, unicus iudex normas processus contentiosi ordinarii servare (cf. can. 308 § 2 et 323). Nec placuit *Coetui a Studiis de Processibus* distinctionem inter haec duo capita fieri ex maiore « oralitate », quam vocant, huic processui propria, quae tamen, etsi quodammodo specificativa, nec in hoc processu primaria est. Voces vero « processus summarius » technicae sunt in iuris scientia ac alio etiam in loco schematis, ubi « de processu matrimoniali summario » (cann. 319-332), adhibentur.

Haec sectio, optima sane atque cum novis temporibus maxime consona, quae in Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » primo in iure Ecclesiae Catholicae apparuit, substantialiter retenta est, nonnullis mutatis, additis vel omissis ut normae de hoc processu clarius pateant.

TITULUS XXV DE ALIQUIBUS SPECIALIBUS IUDICIIS

Primum caput tituli huius de processu in causis matrimonialibus agit, alterum, breve omnino, quaedam de processu contra sacram ordinationem statuit, in tertio vero normae de modo procedendi in parochis amovendis vel transferendis traduntur.

Schema canonum Capituli I DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS inscripti, recognitionem praebet normarum quae hac in provincia vigent vi Litt. Ap. « Cum matrimonialium causarum » motu proprio die 8 Septembris 1973 datarum. Hoc enim pontificio documento, etiamsi canones 468-500 Litteris Apostolicis « Sollicitudinem Nostram » sanciti, confirmantur, plures tamen substantialiter mutati sunt. Exinde processus de causis matrimonialibus in praesens novus, simplicior et magis expeditus fit. Rebus sic stantibus, immutationes in hunc processum anno 1973 introductae, iurisperitis notissimae, in sequentibus non adnotantur, sed nonnisi potiores innovationes iuris post annum 1973 vigentis quae hoc schemate proponuntur.

1) In canone 305 schematis, de titulis competentiae tribunalium, notandum est, notionem « commorationis non precariae », quae in ius orientale per art. V Litt. Ap. « Cum matrimonialium causarum » primo introducta est, iam nullum locum habere, cum nullibi in iure notio haec, quid significet, perspicue definiatur. Hac in re notiones domicilii vel quasi-domicilii plene sufficere Consultoribus *Coetus a Studiis de Processibus* videntur. Novus est titulus competentiae tribunalis loci in quo pars actrix domicilium habet. Titulus iste admittitur, tamen « dummodo utraque pars in territorio eiusdem nationis degat et tribunal loci domicilii partis conventae, ipsa audita, consentiat » (cf. *Communicationes* XI, 1979, p. 258). Ut vero titulus « loci in quo de facto colligendae sunt pleraeque depositiones seu probationes » invocari possit, consensus Vicarii iudicialis domicilii partis conventae, ipsa parte audita, sufficere videtur (Litt. Ap. « Cum matrimonialium causarum », art. IV § 1, consensum duorum Hierarcharum loci necnon Praesidis tribunalis additi requirunt).

2) In canone 306 nullo modo restricta estabilitas coniugum matrimonium impugnandi. Aliis verbis, etiam acatholici et non baptizati (cf. can. 7) ac ii quoque qui nullitatis matrimonii causa fuerunt, ad iudicialiter agendum in his causis habiles proponuntur.

3) Citatio fit ipsa notificatione libelli litis parti conventae, formula vero dubiorum ex officio statuitur sine litis contestatione, nisi alterutra pars aliter expresse petierit (can. 310).

4) Patronorum ius ad assistendi interrogationibus atque iudicialia acta invisendi ex toto iuribus vinculi defensoris vel iustitiae promotoris aequatur. Partibus vero in his causis, secus ac in can. 67 § 2 proponitur, hoc ius negatur, nisi Praeses tribunalis aliter censeat (can. 311).

5) Transitus a nullitatis matrimonii processu ad processum « dispensationis super rato », ut dicitur, facilius redditur in can. 314.

6) Radicitus immutatur disciplina de appellationibus in can. 315. Retenta necessitate quamlibet sententiam primi gradus matrimonii nullitatem declarantem novo examini, apud appellationis tribunal, subiciendi, reiectis quoque contrariis propositionibus (e.g. de dispensatione ab hoc examine), obligatio appellandi defensoris vinculi supprimitur, et ipsi tribunali imponitur ut ex officio, intra viginti dies a sententiae publicatione, omnia acta simul cum appellationibus, si quae sint, ad tribunal appellationis transmittat.

7) Praescriptum art. IX § 1 Litt. Ap. « Cum matrimonialium causarum » quo recursus admittitur adversus tribunalis appellationis decretum, sententiam primi gradus ratam habens, supprimitur. Ideoque decretum hoc plene aequiparatur alteri conformi sententiae. Ulteriore appellatione remota, nova causae propositio nonnisi ad normam canonis 267 admittitur.

8) In canone 319 « de processu matrimoniali summario » Vicarius iudicialis vel iudex ab ipso designatus (in Litt. Ap. « Cum matrimonialium causarum », art. X, nonnisi de Hierarcha sermo est), competentes esse proponuntur, in casibus iure praevisis ac processu summario adhibito, nullitatem matrimonii declarare. In canone 320 § 2 alia habetur novitas: ius appellandi hisce in casibus non tantummodo defensori vinculi, verum etiam parti, quae se gravatam putet, plene tribuitur.

9) In canone 325 edicitur speciales normas Sedis Apostolicae sequendas esse in processu ad dispensationem super matrimonio non consummato atque in processu ad matrimonii solutionem in favorem fidei obtinendam.

Congruenter cum iis quae Consultores *Coetus à Studiis de Matrimonio* sodales in canonibus 191 et 193 schematis « De cultu divino et praesertim de Sacramentis » proponunt, nec necessarium nec conveniens visum est in Codice Orientali quidpiam magis in particulari de hisce processibus statui, ut iam supra dictum est.

10) « De causis separationis coniugum » canones 326-330, primitus a Pontificia Commissione C.I.C. Recognoscendo compositi sunt, varias ob rationes de quibus cf. « Schema Canonum de modo procedendi pro tutela iurium seu de processibus » anni 1976, « Praenotanda » art. VII. Rationes istae de Oriente etiam valent. In iis vero regionibus in quibus *Statuta per-*

sonalia vigent, quorum vi ecclesiastica tribunalia pro foro civili competentia sunt has causas cognoscendi, processus hoc peculiare momentum habet. Hucusque causae de coniugum separatione tribunali collegiali reservantur (Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram » can. 46 § 1 n. 1 littera c) atque ad normas ordinarii processus contentiosi tractandae sunt. In schemate praesenti proponitur (can. 330) ut causae hae iudicentur ad normas processus contentiosi summarii, qui coram unico iudice fit (can. 287), firmis canonibus 326-329 schematis et salvo can. 22 § 2.

11) Canon 331 « de processu praesumptae mortis coniugis », anno 1979 primo a Pontificia Commissione C.I.C. Recognoscendo opportune excussus (cf. *Communicationes* XI, 1979 n. 2 pagg. 282-283), deinde a *Coetu a Studiis Speciali* huius Commissionis mense Februario 1980 coadunato, pro Codice Orientali acceptus est. Expressis insuper verbis requiritur promotoris iustitiae interventus, cum causae hae semper publicum bonum respicere videantur.

Caput II DE CAUSIS CONTRA SACRAM ORDINATIONEM duobus nonnisi canonibus constat (cann. 332-333). Magni momenti innovatio iuris proponitur in can. 332 schematis quo statuitur has causas tractandas esse modo disciplinari unde, etsi tribunalibus committentur, processus in hisce causis videndis iudicialis stricto sensu minime erit.

Caput III DE MODO PROCEDENDI IN PAROCHIS AMOVENDIS VEL TRANSFERENDIS canones continet (cann. 334-345) qui ad recognitionem earum partium Codicis orientalis pertinent quae a Pontificia Commissione ad C.I.C.O. Redigendum, anno 1935 instituta, elaboratae quidem sunt, numquam vero promulgatae. Textus in archivo extantes in postrema formulatione ad annum 1948 referuntur (cf. *Nuntia* 8, pagg. 95-100) atque titulum XXII totius C.I.C.O., tunc in schemate, constituebant sequenti quidem inscriptione: « De peculiaribus dirimendarum causarum formis ».

Canones qui praesenti schemate proponuntur ea, quae a Vaticano II Concilio in Decreto « Christus Dominus » n. 31 statuta sunt, adamussim servant. Distinctione inter parochos amovibiles et inamovibiles ab ipso Concilio abrogata, simplicior redditur modus procedendi in amotione et translatione parochorum. Nihil in schemate proponitur circa processus contra parochos negligentes, contra clericos non residentes vel concubinariorum, qui processus peculiare sectiones in textu anni 1948 constituebant. Iuris enim violationes hisce processibus causam dantes aut ut rationes amotionis vel translationis considerari possunt aut sunt delicta quae, debitis post monitionibus, processu poenali puniri possunt. Item nihil in schemate habetur de modo procedendi « ad suspensionem ex informata conscientia » infligendam. Sectio de hac suspensione, utpote obsoleta, omissa est.

TITULUS XXVI

DE PROCESSU IN SANCTIONIBUS POENALIBUS FERENDIS

In hoc titulo recogniti sunt canones 507-576 Litt. Ap. « Sollicitudinem Nostram ». In schemate proposito tota res nonnisi 20 canonibus (cann. 346-366) absolvitur. Etiam si quaedam nova sint, nihilominus hac de sectione dici potest ius vicens, in iis quae magis substantialia ac huic processui propria sunt, (Cf. e.g. ea quae de « oralitate » habentur in can. 359) servatum esse.

Canones 367 et 368, de irrogatione poenarum per decretum extra iudicium, novi sunt. Primitus hi canones a *Coetu a Studiis de Delictis et Poenis*, utpote necessarium complementum canonis 2 schematis « De sanctionibus poenalibus » quo quaedam delicta certis sub condicionibus per decretum puniri mittebantur (cf. *Nuntia* 4 pag. 78, cann. 3 et 4), elaborati sunt. *Coetus a Studiis Specialis*, cui denua revisio schematis « De sanctionibus poenalibus » commissa est, mense Martio 1980, hos canones, opportune emendatos, inter canones « de processibus » adnumeravit.

TITULUS XXVII

DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA ADMINISTRATIVA

Titulus hic, ex toto novus, in schemate proponitur in spe ut plene obsecundet principio recognitionis C.I.C.O. a Plenario Coetu Membrorum Commissionis anno 1974 formulato, de necessitate nempe institutionis « tribunalium administrativorum » ad solvendo recursum interpositos adversus administrativa decreta.

Canones (cann. 369-398) tituli huius a *Coetu a Studiis de Processibus* elaborati sunt, comparatis schematibus a Pontificia Commissione C.I.C. Recognoscendo antea propositis. Tribus sectionibus titulus hic constabat. In prima de modo procedendi in decretis administrativis edendis agebatur, in altera de recurso hierarchico sermo erat, in postrema vero de recurso ad tribunalium sectiones administrativas. Prima sectio tandem ad canones « De normis generalibus » remissa est (cf. *Nuntia* 10, pagg. 111-113). Nam in-

congruum visum est inter canones de recursibus adversus decreta administrativa de iis agi quae decreto edendo praevia sunt. Altera et postrema sectio vero nunc Caput I et II huius tituli constituunt.

Consultores Commissionis in horum canonum elaboratione sequentibus praesertim considerationibus ducti sunt.

1) Tutela iurium singularum personarum cuiusvis status ac gradus in Ecclesia perfecta sit ac pro omnibus, nullo excepto, aequalis.

2) Maneat principium ut recursus adversus decreta administrativa non suspendat ipso iure decreti executionem; Superior vero hierarchicus vel tribunal ad quem recursus fit de effectu suspensivo decidere potest (can. 370 § 2, 389 § 1).

3) Superioribus, qui decreta administrativa ferunt, antequam recursus adversus ea proponantur, occasio praebeatur proprium decretum revocandi vel emendandi; excipiantur tamen ab hac norma decreta lata a Protosyncellis, Syncellis vel iis qui ex delegata potestate agunt (can. 372).

4) Episcopus a non-Episcopis nunquam in his recursibus videndis iudicetur.

5) Loco « tribunalium administrativorum » a ceteris tribunalibus omnino distinctorum, « sectiones administrativae » in omnibus tribunalibus instituantur (cf. can. 382 *Nuntia* 5, pag. 5).

6) Competentia sectionum administrativarum tribunalium distinctis limitibus circumscribatur, prae oculis habita praxi alterius sectionis Signaturae Apostolicae (cf. can. 385: « quoties contendatur violatam esse legem in procedendo vel decidendo, vel motiva in decreto allata non esse vera »).

7) Processus brevis esto, sed tribunalia collegialiter agant, praesente semper promotore iustitiae, cum recursus ob causas in n. 6 indicatas bonum publicum respicit.

8) Impugnationes adversus sententias sectionis administrativae tribunalis fiunt iuxta ordinariam normam iuris.

De loco huius tituli iam supra dictum est. Hic interim collocatur ex materiae connexionem, ut in uno indice de toto iure processuali quod tribunalia ecclesiastica orientalium Ecclesiarum respicit, Organa consultationis una simul iudicium ferre possint.

DE MODO PROCEDENDI PRO TUTELA
IURIUM SEU DE PROCESSIBUS

TITULUS XXIII
DE IUDICIIS IN GENERE

Can. 1 (SN 1)

§ 1. Obiectum iudicii sunt:

1° personarum physicarum vel iuridicarum iura perseguenda aut vindicanda, vel facta iuridica declaranda;

2° delicta, quod spectat ad poenam irrogandam.

§ 2. Attamen controversiae ortae ex actu potestatis administrativaе deferri possunt tantum vel ad Superiorem vel ad tribunal administrativum.

Can. 2 (SN 4)

In causis quae alicui Dicasterio Sedis Apostolicae reservantur tribuna-
lia normas ab eodem Dicasterio editas sequantur oportet.

Can. 3

Causae beatificationis servorum Dei et canonizationis Beatorum regun-
tur normis specialibus a Romano Pontifice promulgatis.

Caput I

DE FORO COMPETENTI

Can. 4

Romanus Pontifex a nemine iudicatur.

Can. 5 (SN 32, 77)

§ 1. Ob Primatum Romani Pontificis integrum est cuilibet christifideli causam suam, in quovis iudicii gradu et in quovis litis statu cognoscendam ad ipsum Romanum Pontificem deferre, qui pro toto orbe catholico iudex est supremus et qui vel ipse per se ius dicit, vel per tribunalia ab ipso constituta, vel per iudices a se delegatos.

§ 2. Haec provocatio tamen ad Romanum Pontificem interposita non suspendit, excluso casu appellationis, exercitium potestatis in iudice qui causam iam cognoscere coepit; quique idcirco poterit iudicium prosecui usque ad definitivam sententiam, nisi constiterit Romanum Pontificem causam ad se advocasse.

Can. 6 (SN 15)

§ 1. Ipsius Romani Pontificis dumtaxat ius est iudicandi:

- 1° Patriarchas;
- 2° Episcopos in poenalibus;
- 3° eos qui supremum tenent civitatis magistratum;
- 4° alias causas quas ipse ad suum advocaverit iudicium.

§ 2. In contentiosis Episcopi qui Superiorem infra Romanum Pontificem non habent iudicantur a tribunali ab ipso Romano Pontifice designato.

Can. 7 (SN 16)

Coram Tribunalibus Sedis Apostolicae conveniri debent personae ecclesiasticae physicae caractere episcopali non auctae, vel iuridicae, quae Superiorem infra Romanum Pontificem non habent, firmo can. 9 § 3.

Can. 8 (SN 17, 18, 73)

§ 1. Synodus Episcoporum constituit Supremum Tribunal Ecclesiae Patriarchalis, salvis causis a Romano Pontifice reservatis.

§ 2. 1° Synodus Episcoporum per secreta suffragia eligere debet ad quinquennium e suo gremio generalem Moderatorem administrationis iustitiae in Ecclesia Patriarchali necnon et duos Episcopos qui cum eo Praeside constituent tribunal, cui est iudicare causas contentiosas sive eparchiarum sive Episcoporum etiam titularium, necnon causas de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut eparchiae.

2° Generali Moderatori de quo in n. 1 est ius vigilantiae in omnia tribunalia Ecclesiae Patriarchalis necnon ius decisionem ferendi in exceptio-

nibus suspicionis contra aliquem iudicem tribunalis de quo in canone sequenti.

§ 3. Appellatio in causis de quibus in § 3 n. 1 fit ad Synodum Episcoporum ulteriore appellatione remota, salvo can. 5.

§ 4. Si unus ex tribus Episcopis de quibus in § 3 sit in causa vel adesse nequiverit, Patriarcha, cum consensu Synodi permanentis, ei alium Episcopum substituat.

Can. 9 (SN 19, 73)

§ 1. Patriarcha cum Synodo permanenti constituere debet tribunal ordinarium Ecclesiae cui praeest, a tribunali eparchiae Patriarchae propriae distinctum.

§ 2. Hoc tribunal est tribunal appellationis in secunda et ulterioribus instantiis, ope iudicum qui sibi invicem succedunt, pro causis in tribunalibus inferioribus iam definitis.

§ 3. Huic Tribunali competit iudicare in prima et in ulterioribus instantiis, modo in § 2 descripto, causas:

1° Hierarcharum locorum et Patriarchae delegatorum qui Episcopi non sint;

2° personarum physicarum vel iuridicarum Patriarchae immediate subiectarum, firma praescripto can. 14 § 1;

3° Institutorum vitae consecratae exemptione pontificia fruientium, firmo praescripto can. 14 § 1;

4° Superioris Instituti vitae consecratae exemptione pontificia fruente, qui in eodem Instituto Superiorem iudiciali potestate praeditum non habeat;

5° ex iuris particularis praescripto eidem tribunalis reservatas.

§ 4. Hoc tribunal proprium praesidem, iudices, promotorem iustitiae, vinculi defensores, aliosque necessarios ministros habeat a Patriarcha, cum consensu Synodi permanentis, nominatos; praeses, iudices, promotor iustitiae necnon vinculi defensores removeri nequeunt nisi a Synodo Episcoporum, resignationem vero ab officio Patriarcha solus acceptare potest.

Can. 10 (SN)

§ 1. Tribunal metropolitanum, quod non est distinctum a tribunali eparchiae Metropolitanae propriae, est tribunal appellationis a sententiis tribunalium eparchiarum suffraganearum; ultiores vero instantias videt tribunal Ecclesiae patriarchalis.

§ 2. A causis in prima instantia pertractatis coram Metropolita aliove Hierarcha loci qui Superiorem infra Romanum Pontificem non habet, fieri

debet appellatio ad tribunal ab ipso stabili modo cum approbatione Sedis Apostolicae electum.

Can. 11 (SN 37)

§ 1. In unaquaque eparchia et pro omnibus causis a iure expresse non exceptis, iudex primae instantiae est loci Hierarcha, qui iudiciariam potestatem exercere potest ipse per se vel etiam per alios secundum canones qui sequuntur.

§ 2. Si vero agatur de iuribus aut bonis temporalibus Episcopi aut eparchiae extra fines Ecclesiae Patriarchalis, controversia dirimenda deferatur ad tribunal appellationis.

Can. 12 (SN 38, 72)

§ 1. Erectio tribunalis primi gradus quod pro pluribus eparchiis eiusdem ritus sit, nationalis vel regionalis, quod semper suadetur, reservatur Synodo Episcoporum aut, extra fines Ecclesiae Patriarchalis, Sedi Apostolicae; hoc tribunal erigi debet ubi singulae eparchiae tribunalia propria quaecumque de causa erigere non valent.

§ 2. Hierarchae eparchiarum pro quibus tribunal regionale erectum est nequeunt tribunal collegiale sua in eparchia valide erigere.

§ 3. Nominatio iudicum, promotoris iustitiae et defensoris vinculi in tribunali regionali spectat ad Patriarcham de consensu Synodi permanentis, aut, extra fines Ecclesiae Patriarchalis, ad Metropolitam de consensu duorum, ordine praecedentiae priorum provinciae Episcoporum; ceterorum administratorum nominatio spectat iuxta casus, ad unum Patriarcham vel Metropolitam.

§ 4. Appellatio a tribunali regionali fit ad aliud turnum iudicum in secundo gradu in tertio vero ad tribunal Ecclesiae Patriarchalis vel, extra fines territorii Ecclesiae Patriarchalis, ad tribunal stabili modo cum approbatione Sedis Apostolicae electum.

Can. 13 (SN 39, 72)

§ 1. Locorum Hierarchae potestatem in eodem territorio obtinentes convenire inter se possunt de constituendo tribunali unico quod causas sive contentiosas sive poenales fidelium cuiusvis ritus alicui ex iisdem locorum Hierarchis subiectorum, cognoscat.

§ 2. Huius tribunalis interritualis statuta ab iisdem locorum Hierarchis (unanimiter) determinari debent.

§ 3. Ubicumque competentes iudices alique administri tribunalium desint Hierarchae locorum curent ut tribunal interritulae constituatur.

§ 4. A sententiis primi gradus tribunalis interritualis appellatio fit ad tribunal designatum ab auctoritatibus, quibus Hierarchae tribunal interrituale constituentes subiacent.

Can. 14 (SN 51, 72)

§ 1. Controversiae, in prima et ulterioribus instantiis, inter personas physicas vel iuridicas eiusdem Monasterii sui iuris vel eiusdem Instituti vitae consecratae definiendae sunt apud Superiorem vel tribunal utpote in typicis vel statutis a legitima Auctoritate adprobatis praescribitur.

§ 2. Si controversia enascatur inter personas physicas vel iuridicas diversorum Monasteriorum vel Institutorum vitae consecrate aut inter easdem personas et clericos eparchiales vel laicos iudex primae instantiae est Hierarcha loci; in appellationibus proceditur ad ordinariam iuris normam.

Can. 15

Auctoritas quodcumque tribunal erigens curet ut tribunal propria statuata, ab eadem auctoritate adprobata, habeat, in quibus iudicum aliorumque ministrorum modus nominationis, muneris tempus, retributiones necnon ea de quibus in canone 277, determinari debent.

Can. 16 (SN 34)

Quodlibet tribunal ius habet in auxilium vocandi aliud tribunal Ecclesiae cuiuscumque ritus ut quosdam actus processuales peragat, exceptis tamen illis actibus qui decisiones iudicum involvunt.

Can. 17 (SN 21)

In causis de quibus in canonibus 6, 7, 8, 9 inferiorum iudicum incompetencia est absoluta.

Can. 18 (SN 22)

Nisi expresse aliud dicatur actor sequitur forum partis conventae; quod si pars conventa multiplex forum habeat, optio fori actori conceditur.

Can. 19 (SN 22, 24, 25, 26, 27, 28, 29)

§ 1. Nisi aliud expresse dicatur, causas in prima instantia videt iudex qui competens est ob unum ex sequentibus titulis:

1° domicilii vel quasi-domicilii partis conventae aut, si de vagis agatur vel de illis quorum domicilium vel quasi-domicilium ignota sunt, partis actricis;

2° loci rei sitae, beneficii, administrationis gestae, exsecutionis hereditatis aut legati;

3° loci in quo contractus initus est vel adimpleri debet aut loci a contrahentibus in actu contractus electi;

4° loci patrati delicti.

§ 2. Si nullus ex superioribus titulis iudici suffragatur et tamen causa apud ipsum introducitur ipse competentiam obtinet si partes et Hierarcha loci cui tribunal subiicitur consentiant.

Can. 20 (SN 30)

Ratione connexionis ab uno eodemque iudice cognoscendae sunt causae inter se connexae nisi obstet incompetencia absoluta aut praescriptum can. 22.

Can. 21 (SN 31)

Cum duo vel plura tribunaalia acque competentia sint, ei ius est causam cognoscendi quod prius partem conventam citaverit.

Can. 22 (SN 46)

§ 1. Tribunali collegiali trium iudicum reservantur:

1° causae de vinculo matrimonii, firmis praescriptis canonis 308.

2° causae poenales de delictis quae poenas excommunicationis maioris, privationis officii, reductionis ad gradum inferiorem vel depositionis secumferunt;

3° causae a iure particulari singularum Ecclesiarum determinatae;

§ 2. Hierarcha loci vel Vicarius iudicialis certam causam videndam ad normam iuris, ab unico iudice, committere potest, iusta de causa, iudicio trium iudicum.

Can. 23 (SN 48, 76)

§ 1. Tribunal collegiale collegialiter procedere debet et ad maiorem numerum suffragiorum decisiones ferre, et quidem ad validitatem, quando agitur:

1° de reiectione libelli litis necnon petitionis actionis incidentalis vel reconventionalis;

2° de definitione recursus adversus decretum praesidis vel ponentis;

3° de sententia, etsi interlocutoria, necnon decretis quae vim definitivae sententiae habent;

§ 2. Ceteros actus processus ponens peragat, nisi collegium aliquos sibi reservat, sed non ad validitatem decisionum.

§ 3. Si collegialiter causa in prima instantia cognita fuit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet; si autem ab unico iudice, etiam in gradu appellationis ab unico iudice definienda est.

Caput II

DE MINISTRIS TRIBUNALII

ART. I - De Vicario iudiciali, iudicibus et auditoribus

Can. 24 (SN 40)

§ 1. Quilibet loci Hierarcha tenetur Vicarium iudiciale constituit cum potestate ordinaria iudicandi, a Syncello distinctum, nisi parvas eparchiae aut paucitas negotiorum suadeant ut officia Syncelli et Vicarii iudicialis cumulentur.

§ 2. Vicarius iudicialis unum constituit tribunal cum Hierarcha; sed nequit iudicare causas quas Hierarcha sibi reservat.

§ 3. Vicario iudiciali dari possunt adiutores, quibus nomen est Vicariorum iudicialium adiunctorum.

§ 4. Tum Vicarius iudicialis tum Vicarii iudiciales adiuncti esse debent sacerdotes integrae fama, in iure canonico doctores vel saltem licentati, annos nati non minus triginta, prudentia et iustitiae zelo probati.

§ 5. Ipsi, sede vacante, a munere non cessant nec ab Administratore eparchiae amoveri possunt; adveniente novo Episcopo indigent confirmatione.

§ 6. Si Vicarius iudicialis designetur vel eligatur in Administratorem eparchiae ipse novum nominat Vicarium iudiciale.

Can. 25 (SN 41)

§ 1. In eparchia constituentur ab Episcopo iudices eparchiales qui sint clerici.

§ 2. Patriarcha, audita Synodo permanenti, potest permittere ut etiam viri laici iudices constituentur ex quibus, suadente necessitate, unus assumi

potest, ad normam iuris, ad collegium efformandum; extra territoria Ecclesiarum patriarchalium eadem facultate gaudet Metropolita, auditis duobus ordine praecedentiae prioribus provinciae Episcopis; in aliis casibus recuratur ad Sedem Apostolicam.

§ 3. In officium iudicum eparchialium assumi non possunt nisi ii qui sunt integrae famae in iure canonico doctores vel saltem licentiati, etsi alius eparchiae seu ritus, de consensu tamen proprii Hierarchae.

Can. 26 (SN 44)

Vicarius iudicialis, Vicarius iudicialis adiunctus et alii iudices nominentur ad tempus a iure particulari determinatum, firmo praescripto can. 24 § 5, nec removeri possunt nisi ex legitima gravique causa.

Can. 27 (SN 45)

Unicus iudex in quolibet iudicio duos assessores, clericos vel laicos probatae vitae, sibi consulentes adsciscere potest.

Can. 28 (SN 46)

§ 1. Duos iudices qui una cum praeside tribunal collegiale constituunt inter iudices eparchiales Vicarius iudicialis designet ex ordine per turnum, nisi pro sua prudentia Hierarcha aliter opportunum existimaverit.

§ 2. Iudices semel designatos ne subroget Vicarius iudicialis, nisi ex gravissima causa, in decreto sub poena nullitatis exprimenda.

Can. 29 (SN 48)

§ 1. Tribunali collegiali praest, in quantum fieri potest, Vicarius iudicialis vel Vicarius iudicialis adiunctus.

§ 2. Tribunalis collegialis praeses, nisi ipse velit id officium gerere, debet unum de iudicibus tribunalis collegialis ponentem designare.

§ 3. Idem praeses potest ponenti alium ex iusta causa substituere.

Can. 30 (SN 50)

§ 1. Ponens processum dirigit et decernit quae pro iustitiae administratione in causa quae agitur necessaria sunt.

§ 2. Ponens in conventu iudicum de causa refert et sententiam in scriptis redigit.

Can. 31 (SN 453)

Ad iudicem unicum iura spectant tum tribunalis tum praesidis.

Can. 32 (SN 52, 55)

§ 1. Nisi aliud iure cautum sit, Hierarchae, in cuius territorio tribunal sedem habet, est ad auditoris munus approbare clericos vel laicos qui bonis moribus, prudentia et doctrina fulgeant.

§ 2. Iudex, ubi, gravi de causa per se ipsum causae instructionem peragere nequit, unum auditorem ex iis, de quibus in § 1 seligat; auditor semel electus a munere suo a iudice ne removeatur nisi gravi de causa et citra partium praeiudicium.

§ 3. Auditoris est secundum iudicis mandatum probationes tantum colligere easque collectas iudici tradere. Potest autem, nisi iudicis mandatum obstat, interim decidere quae et quomodo probationes colligendae sint, si forte de hac re quaestio oriatur dum ipse munus suum exerceat.

ART. II - De promotore iustitiae et vinculi defensore

Can. 33 (SN 57)

§ 1. Constituatur in eparchia promotor iustitiae ad causas tum poenales tum contentiosas in quibus bonum publicum in discrimen vocari potest.

§ 2. In tribunalibus non eparchialibus in causis de quibus in § 1 promotor iustitiae instituitur ad normam statutorum de quibus in can. 15, firmo can. 9 § 4.

Can. 34 (SN 58)

§ 1. In causis poenalibus promotor iustitiae gerit partes accusatoris, eo tendens ut delinquentes iuste puniantur.

§ 2. Licet vero eius sit accusare et sustinere ex officio accusationem, id tamen praestare non debet, si censeat accusationem prorsus fundamento destitui.

Can. 35 (SN 59, 60)

§ 1. In causis contentiosis Episcopi eparchialis est iudicare utrum bonum publicum in discrimen vocari possit necne, nisi interventus promotoris iustitiae a lege praecipiat vel ex natura rei evidenter necessarius sit.

§ 2. Si in praecedenti instantia intervenerit promotor iustitiae, in ulteriore gradu huius interventus praesumitur necessarius.

Can. 36 (SN 62)

Ad causas in quibus agitur de nullitate vel solutione matrimonii constituantur in eparchia defensor vinculi, qui officio tenetur proponendi et exponendi omne quod rationabiliter adduci possit adversus nullitatem vel dissolutionem.

Can. 37 (SN 63)

In causis in quibus promotoris iustitiae aut defensoris vinculi praesentia requiritur, iis non citatis, acta irrita sunt, nisi ipsi, etsi non citati, revera interfuerint, aut saltem ante sententiam actis inspectis munere suo fungi potuerint.

Can. 38 (SN 64)

Nisi aliud expresse caveatur:

1° quoties lex praecipit ut iudex partes earumve alteram audiat, etiam promotor iustitiae et vinculi defensor, si iudicio intersint, audiendi sunt;

2° quoties instantia partis requiritur ut iudex quid decernere possit, instantia promotoris iustitiae vel vinculi defensoris, qui iudicio intersint, eandem vim habet.

Can. 39 (SN 65)

§ 1. Eadem persona, non autem in eadem causa, officium promotoris iustitiae et defensoris vinculi gerere potest.

§ 2. Promotor et defensor constitui possunt tum ad universitatem causarum tum ad singulas causas.

Can. 40 (SN 66)

§ 1. Episcopi est promotorem iustitiae et vinculi defensorem nominare, qui sint clerici integrae fama, in iure canonico doctores vel ceteroquin periti, ac prudentia et iustitiae zelo probati. Laici autem deputari possunt ad singulas causas si necessitas id suadeat.

§ 2. In tribunali monachorum ceterorumque Institutorum vitae consecratae promotor iustitiae ad singulas tantum causas instituitur, qui praeter ea de quibus in § 1, sit etiam eiusdem Monasterii vel Confoederationis monasticae aut Instituti vitae consecratae professus.

Can. 41 (SN 67)

§ 1. Promotor iustitiae et vinculi defensor constituti ad universitatem causarum a munere non cessant sede episcopali vacante, nec ab Admini-

stratore eparchiae vacantis possunt removeri; adveniente autem novo Hierarcha, indigent confirmatione.

§ 2. Gravi tamen de causa, Hierarcha loci eos remove potest.

ART. III - *De notario et cursoribus*

Can. 42 (SN 56)

§ 1. Cuilibet processui interesse debet notarius, qui actuarii officio fungatur adeo ut nulla habeantur acta si ipse abfuit vel acta non subscripsit.

§ 2. Iudex antequam causam cognoscere incipiat, actuarium assumat unum ex notariis legitime constitutis, nisi Hierarcha cui tribunal subicitur aliquem ad eam causam iam designaverit.

§ 3. Notarius acta processualia scripto exarare debet. Tamen licet uti strumentis quibus voces mechanice imprimuntur, quo in casu, interrogatus, audita propria depositione, eandem confirmare debet opportuna nota a seipso subsignata in verbali sessionis; depositio statim in scriptis ad verbum transcribenda est et a notario et iudice subsignanda.

Can. 43 (SN 68, 70)

§ 1. Nisi alius sit probatus tribunalis mos, ad acta iudicialia intimanda vel executioni mandanda, adhibeantur cursores de quorum nominatione, qualitatibus et remotione servandae sunt normae in statutis singulorum tribunalium determinatae.

§ 2. Acta quae cursores conficiunt publicam fidem faciunt.

ART. IV - *De ministris tribunalium ex diversis eparchiis vel ritibus assumendis*

Can. 44 (SN 71)

§ 1. Iudices alique ministri tribunalium assumi possunt ex qualibet eparchia, Monasterio vel Instituto vitae consecratae eiusdem vel diversi ritus, dummodo consensus proprii Hierarchae, scripto datus, accedat.

§ 2. Iudex delegatus, nisi aliter ferat delegationis mandatum, uti potest ministris intra territorium mandantis degentibus.

Caput III

DE OFFICIIS IUDICUM ET MINISTRORUM TRIBUNALII

Can. 45 (SN 94)

§ 1. Christifideles omnes, in primis autem Episcopi sedulo laborent ut, salva iustitia, lites in populo Dei quantum fieri possit vitentur vel pacifice quamprimum componantur.

§ 2. Iudex in limine litis, et etiam quolibet alio momento, quandocumque spem aliquam boni exitus perspicit, partes hortari et adiuuvare ne omittat, ut de aequa controversiae solutione quaerenda communi consilio curent, viasque ad hoc propositum idoneas ipsis indicet, gravibus quoque hominibus ad mediationem forte adhibitis.

§ 3. Quod si circa privatum partium bonum lis versetur, dispiciat iudex num transactione vel arbitrorum iudicio finem habere utiliter possit.

Can. 46 (SN 123, 226)

§ 1. Iudex competens parti legitime requirenti suum ministerium praestare debet.

§ 2. Iudex nullam causam cognoscere potest, nisi petitio, ad normam canonum proposita sit ab eo cuius interest vel a promotore iustitiae.

Can. 47 (SN 127)

§ 1. Controversiae inter iudices quisnam eorum ad aliquod negotium competens sit, definiendae sunt a tribunali appellationis illius iudicis coram quo actio primo per litis libellum promota est.

§ 2. Sin autem alterutrum tribunalium sit alterius tribunal appellationis controversia definienda est a tribunali tertiae instantiae pro tribunali in quo actio primo, ad normam § 1, mota est.

§ 3. Contra decisiones in controversiis de quibus in §§ 1 et 2 non datur locus appellationi.

Can. 48 (SN 35)

Qui causae interfuit tamquam iudex, promotor iustitiae, defensor vinculi, procurator, advocatus, testis aut peritus, nequit postea valide eandem causam in alia instantia tamquam iudex definire aut in eadem munus assessoris agere.

Can. 49 (SN 128)

§ 1. Iudex cognoscendam ne suscipiat causam, in qua ratione consanguinitatis vel affinitatis in quolibet gradu lineae rectae et usque ad quartum gradum inclusive lineae collateralis vel ratione tutelae et curatelaе, intimae vitae consuetudinis, magnae simultatis, vel lucri faciendi aut damni vitandi, aliquid ipsius intersit, vel in qua aliquod ex muneribus de quibus in can. 48 egerit.

§ 2. In iisdem adiunctis ab officio suo abstinere debent iustitiae promotor, defensor vinculi, assessor et auditor.

Can. 50 (SN 129)

§ 1. Cum iudex, sive in tribunali ordinario sive delegato, etsi competens, recusatur Hierarcha cui tribunal immediate subicitur hanc exceptionem definiat per se vel per alium, salvo can. 8 § 2 n. 2.

§ 2. Si ipsemet Hierarcha sit iudex et contra eum recusatio opponatur ipse vel absteineat a iudicando vel quaestionem recusationis committat tribunali appellationis.

§ 3. Si exceptio recusationis opponatur contra ceteros tribunalis administratos de hac exceptione videt praeses in tribunali collegiali vel ipse iudex, si unicus sit.

Can. 51 (SN 130)

Recusatione admissa personae mutari debent non vero iudicii gradus.

Can. 52 (SN 131)

§ 1. Quaestio de recusatione expeditissime definienda est, auditis partibus atque semper etiam promotore iustitiae vel vinculi defensore, si intersint neque ipsi recusati sint.

§ 2. Actus positi a iudice, cuius recusatio admissa est, invalidi sunt; qui autem positi sunt post petitam recusationem, rescindi debent, si pars petat intra decem dies ab admissa recusatione.

Can. 53 (SN 133, 134)

§ 1. In negotio quod privatorum solummodo interest, iudex procedere potest dumtaxat ad instantiam partis. Causa autem legitime introducta, iudex procedere potest et debet etiam ex officio in causis criminalibus aliisque quae publicum Ecclesiae bonum aut animarum salutem respiciunt.

§ 2. Potest autem praeterea iudex partium negligentiam in probationibus afferendis vel in exceptionibus opponendis supplere, quoties id necessarium censeat ad vitandam graviter iniustam sententiam, firmis praescriptis canonis 223.

Can. 54 (SN 135)

Iudices et tribunalia curent ut quamprimum, salva iustitia, causae omnes terminentur utque in tribunali primae instantiae ultra annum cum dimidio non protrahantur, in tribunali vero secundae instantiae non ultra novem menses; quod si termini ita statuti non servantur ratio reddenda est, ad normas a statutis tribunalis praescriptas, Hierarchae cui tribunal immediate subicitur.

Can. 55 (SN 136)

Omnes qui tribunal constituunt aut eidem opem ferunt, iusiurandum de officio rite et fideliter implendo praestare debent, ab initio suscepti officii, si sint stabiles, aut antequam causa agatur, si ad peculiarem aliquam causam sint constituti, modo in statutis tribunalis, vel ab eo qui iudicem delegavit, determinato.

Can. 56 (SN 137)

§ 1. Iudex partem, testem aut peritum aut interpretem ad iusiurandum recipiens, eum regulariter commonefaciat tum de sanctitate actus et de gravissimo delicto quod admittunt iurisiurandi violatores, tum etiam de poenis quibus obnoxii sunt qui falsum in iudicio iurati affirmant.

§ 2. Iusiurandum secundum formulam a iudice probatam, iuxta usus in unaquaque Ecclesia receptos, praestari debet coram eodem iudice aut eius delegato.

Can. 57 (SN 138)

§ 1. In iudicio criminali semper, in contentioso autem si ex revelatione alicuius actus processualis praeiudicium partibus obvenire possit, iudices et tribunalis adiutores tenentur ad secretum officii.

§ 2. Tenentur etiam semper et erga omnes ad secretum servandum de discussione quae inter iudices in tribunali collegiali ante ferendam sententiam habetur, tum etiam de variis suffragiis et opinionibus ibidem prolatis; ad hoc secretum tenentur etiam alii omnes ad quos notitia de re quoquo modo pervenerit.

§ 3. Imo quoties causae vel probationum natura talis sit ut ex actorum vel probationum evulgatione aliorum fama periclitetur, vel praebeatur

ansa dissidiis, aut scandalum aliudve id genus incommodum oriatur, iudex poterit testes, partes earumque advocatos vel procuratores iureiurando adstringere ad secretum servandum.

Can. 58 (SN 139)

Iudex et omnes tribunalis administri, occasione agendi iudicii munera quaevis acceptare prohibentur.

Can. 59 (SN 140)

§ 1. Iudices qui, cum certe et evidenter competentes sint, ius redere recusent, vel qui temere se competentes declarent, vel secreti legem violent, vel qui ex dolo aut gravi negligentia aliud litigantibus damnum inferant, congruis poenis a competenti auctoritate puniri possunt non exclusae officii privatione.

§ 2. Iisdem sanctionibus subsunt tribunalis officiales et adiutores, si officio suo, ut supra, defuerint, quos omnes etiam iudex punire potest.

Can. 60 (SN 141)

Cum iudex praevideat actorem probabiliter spreturum esse sententiam ecclesiasticam si forte haec ipsi sit contraria, et idcirco conventi iuribus non satis consultum iri, potest ad eiusdem conventi instantiam vel etiam ex officio, actorem adigere ad congruam cautionem praestandam pro ecclesiasticae sententiae observantia.

Can. 61 (SN 142)

Iudices et tribunalia debent causas ad se delatas eo ordine cognoscere quo fuerunt propositae et in albo signatae, nisi qua earum celerem praeteris expeditionem exigat, quod quidem peculiari decreto, rationibus suffulto, a iudice seu a tribunali statuendum est.

Caput IV

DE TERMINIS ET DILATIONIBUS, LOCO ET TEMPORE IUDICII

Can. 62 (SN 149)

§ 1. Termini perimendis iuribus a lege constituti, prorogari non possunt.

§ 2. Ceteri autem termini ante eorum lapsum, poterunt iusta intercedente causa, a iudice, auditis vel petentibus partibus, prorogari.

§ 3. Caveat tamen iudex ne nimis diuturna lis fiat ex prorogatione.

Can. 63

Ubi lex terminos haud statuatur ad actus processuales peragendos, iudex illos praefinire debet, habita ratione naturae cuiuscumque actus.

Can. 64 (SN 150)

Si in die ad actum iudiciale indicto vacaverit tribunal, terminus intelligitur prorogatus ad primum sequentem diem non feriatum.

Can. 65 (SN 151)

Uniuscuiusque tribunalis sedes sit, quantum fieri potest, stabilis, quae statutis horis pateat, servatis normis iure particulari de hac re statutis.

Can. 66 (SN 152)

§ 1. Iudex e territorio suo vi expulsus vel a potestate iudiciali ibi exercenda impeditus, potest extra territorium potestatem suam exercere et sententiam ferre, certiore tamen hac de re facto loci Hierarcha.

§ 2. Praeter casum de quo in § 1, iudex ex iusta causa et auditis partibus, potest ad probationes acquirendas etiam extra proprium territorium se conferre, de licentia tamen Hierarchae loci adeundi et in sede ab eodem designata.

Caput V

DE PERSONIS AD DISCEPATIONEM IUDICIALEM ADMITTENDIS
ET DE MODO CONFICIENDI ET CONSERVANDI ACTA

Can. 67 (SN 155)

§ 1. Nisi aliter lex particularis caveat, dum causae coram tribunali aguntur ii tantummodo adsint in aula quos lex aut iudex ad processum expediendum necessarios esse statuerit.

§ 2. Attamen partes earumque procuratores et advocati assistere possunt interrogatoriis, nisi iudex propter rerum et personarum adiuncta censuerit secreto esse procedendum.

§ 3. Omnes, iudicio assistentes, qui reverentiae et oboedientiae tribunali debitae graviter defuerint, iudex, etiam illico et incontinenti si coram tribunali sedente quis peccaverit, potest congruis poenis ad officium reducere; advocatos praeterea et procuratores etiam a munere apud tribunaia ecclesiastica exercendo suspendere.

Can. 68 (SN 156, 301)

Si alicui actui processuali interveniat persona linguae loci ignara et iudices ac partes linguam huius personae propriam non intelligant, interpretes adhibeatur iuratus, et a iudice designatus, contra quem alterutra pars legitimam exceptionem non proposuerit. Illius autem declarationes scripto redigantur lingua originaria et translatio addatur.

§ 2. Si de surdo vel muto agatur, interrogationes et responsiones scripto fieri possunt nisi iudex interpretis opera uti malit.

Can. 69 (SN 157)

§ 1. Acta iudicialia, tum quae meritum quaestionis respiciunt, seu acta causae, ex.gr. sententiae et cuiusque generis probationes, tum quae ad formam procedendi pertinent, seu acta processus, ex.gr. citationes, intimationes, etc. scripto redacta esse debent.

§ 2. Nisi iusta causa aliud suadeat, inquantum fieri potest, acta de quibus in § 1, lingua officiali ipsius tribunalis redigantur, sed interrogationes et responsiones partium et testium aliaqua similia, lingua in qua prolatae sunt confici debent.

Can. 70 (SN 158)

§ 1. Singula folia actorum numerentur et authenticitatis signo muniantur.

§ 2. Singulis actis completis vel interruptis seu ad aliam sessionem remissis, apponatur subscriptio actuarii et iudicis vel tribunalis praesidis.

§ 3. Quoties in actis iudicialibus partium aut testium subscriptio requiritur, si pars aut testis hanc facere nequeat vel nolit, id in ipsis actis adnotetur, simulque iudex et actuarius fidem faciant actum ipsum de verbo ad verbum parti aut testi perlectum fuisse, et partem aut testem vel non potuisse vel noluisse subscribere.

Can. 71 (SN 159)

§ 1. In casu appellationis, actorum exemplar, fide facta a notario de eius authenticitate, ad tribunal superius mittatur.

§ 2. Si acta exarata fuerint lingua tribunali superiori ignota, transferantur in aliam eidem tribunali cognitam, cautelis adhibitis ut de fideli translatione constet. In casu gratuiti patrocinii versio actorum fit cura tribunalis coram quo acta ipsa exarata sunt.

Can. 72 (SN 160)

§ 1. Iudicio expleto, documenta quae in privatorum dominio sunt, restitui debent, retento tamen eorum exemplari.

§ 2. Acta et documenta omnia, quae apud tribunal manent, in archivo tribunalis deponantur sive publico sive secreto, prout eorum natura exigit.

§ 3. Notarii, actuarii et cancellarius sine iudicis mandato tradere prohibentur exemplar actorum iudicialium et documentorum quae sunt processui acquisita.

§ 4. Anonymae epistolae decreto iudicis destrui debent neque de eis mentio fiat in actis; eodem modo destrui debent libelli et epistolae subscriptae, quae nihil ad causae meritum conferunt vel sint certo calumniosae.

Caput VI

DE ACTORE ET PARTE CONVENTA

Can. 73 (SN 161)

Quilibet, sive baptizatus sive non baptizatus, potest in iudicio agere; qui autem legitime conventus est, respondere debet.

Can. 74 (SN 162)

Licet actor vel pars conventa procuratorem vel advocatum constituerit, semper tamen tenetur in iudicio ipsemet adesse ad praescriptum iuris vel iudicis.

Can. 75 (SN 163, 165)

§ 1. Pro minoribus et iis qui rationis usu destituti sunt, agere et respondere tenentur eorum parentes aut tutores vel curatores.

§ 2. Si iudex existimet ipsorum iura esse in conflictu cum iuribus parentum vel tutorum vel curatorum, aut hos non satis tueri posse ipsorum iura, tunc stent in iudicio per curatorem a iudice datum.

§ 3. Sed in causis spiritualibus et cum spiritualibus connexis, si minores usum rationis assecuti sint, agere et respondere queunt per se ipsos si aetatem quatuordecim annorum expleverint; secus per tutorem decreto ab Hierarcha, praevia prudenti inquisitione, datum, vel etiam per procuratorem a se, Hierarchae auctoritate, constitutum.

§ 4. Bonis interdicti, et ii qui minus firmæ mentis sunt, stare in iudicio per se ipsi possunt tantummodo ut de propriis delictis respondeant, aut ad præscriptum iudicis; in ceteris agere et respondere debent per suos curatores.

Can. 76 (SN 166)

§ 1. Ut tutor vel curator ab auctoritate civili alicui datus a iudice ecclesiastico valide admittatur, debet accedere consensus Hierarchæ proprii illius cui datus est.

§ 2. Hierarcha potest quoque alium curatorem constituere pro foro ecclesiastico, si, omnibus mature perpensis, id statuendum esse prudenter censuerit.

Can. 77 (SN 164, 168)

§ 1. Personæ iuridicæ in iudicio stant per suos legitimos repræsentantes.

§ 2. Quoties periculo vertitur pecuniæ summa ad quam alienandam alicuius consensus vel consilium vel licentia requiritur, idem consensus vel consilium vel licentia requiritur etiam ad litem inchoandam vel contestandam.

§ 3. Adversus eos de quibus in § 1, si in iudicio egerint non servato præscripto § 2, personæ iuridicæ ius est ad refectionem damnorum.

§ 4. In casu vero defectus vel negligentiae repræsentantis, potest ipse Hierarcha per se vel per alium stare in iudicio nomine personarum iuridicarum quæ sub eius potestate sunt.

Can. 78 (SN 169)

Excommunicatis maioribus permittitur ut per se ipsi agant tantummodo ad impugnandam iustitiam aut legitimitatem ipsius sententiæ excommunicationis; per procuratorem ad aliud quodvis animæ suæ præiudicium avertendum; in reliquis ab agendo repelluntur.

Caput VII

DE PROCURATORIBUS AD LITES ET ADVOCATIS

Can. 79 (SN 170)

§ 1. Pars libere potest advocatum et procuratorem sibi constituere: sed, præter casus § § 2-3 statutos, potest quoque per se ipsa agere et respondere, nisi iudex procuratoris vel advocati ministerium necessarium existimaverit.

§ 2. In iudicio criminali accusatus aut a se constitutum aut a iudice datum semper habere debet advocatum.

§ 3. In iudicio contentioso, si agatur de minoribus aut de iudicio in quo bonum publicum vertitur, exceptis autem causis matrimonialibus, iudex parti carenti defensorem ex officio constituat.

Can. 80 (SN 171)

§ 1. Unicum quisque potest constituere procuratorem, qui nequit alium sibi substitui, nisi id eidem expresse permissum fuerit.

§ 2. Quod si, iusta causa suadente, plures ab eodem constituentur, hi ita designentur, ut detur inter ipsos locus praeventioni.

§ 3. Advocati autem plures simul constitui queunt.

Can. 81 (SN 172, 173)

§ 1. Procurator et advocatus debent esse aetate maiores et bonae famae. Advocatus debet praeterea esse catholicus, nisi Episcopus eparchialis aliter permittat, et doctor in iure canonico vel alioquin vere peritus et ab eodem Episcopo approbatus.

§ 2. In iudicio coram Sedis Apostolicae vel Patriarchae delegato, ipsius delegati est approbare et admittere advocatum quo pars uti se velle ostenderit.

Can. 82 (SN 174, 175, 179)

§ 1. Procurator ne prius a iudice admittatur quam mandatum ad lites scriptum, mandantis subscriptione munitum, et locum, diem, mensem et annum referens, apud tribunal deposuerit.

§ 2. Quodsi mandans scribere nesciat vel nequeat hoc ipsum ex scriptura constet necesse est, et parochus vel notarius curiae vel duo testes, loco mandantis, mandatum subsignent.

§ 3. Procurator etsi mandato ad lites munitus, debet habere speciale mandatum ut possit valide renunciare actioni, instantiae vel actis iudicialibus, transigere, pacisci, compromittere in arbitros.

§ 4. Mandata quaelibet procurationis asservari debent in actis causae.

Can. 83 (SN 176)

Advocatus, ut causae patrocinium suscipiat, necesse est id munus a parte vel a iudice ad instar mandati procuratorii habeat, de qua commissione in actis constare debet.

Can. 84 (SN 177)

Si quis, cum mandatum nequeat probare, libellum iudicalem ad iuris extinctionem impediendam exhibere nomine alterius velit, vel singulos actus urgente necessitate ponere in processu, potest arbitrio iudicis admitti, praestita, si res ferat, idonea cautione; actus autem qualibet vi caret, nisi, intra terminum peremptorium a iudice statuendum, mandatum rite probet.

Can. 85 (SN 178)

Procuratori valide notificantur omnia acta processualia quae partibus notificari debent vel possunt, nisi iudex aliter statuatur.

Can. 86 (SN 180)

Tum procurator tum advocatus possunt a iudice, dato decreto, repelli sive ex officio sive ad instantiam partis, gravi tamen de causa et semper salvo recurso ad tribunal appellationis.

Can. 87 (SN 181)

§ 1. Advocati et procuratores possunt ab eo a quo constituti sunt, removeri, salva obligatione solvendi honoraria ipsis debita; verum ut remotio effectum sortiatur, necesse est ipsis intimetur, et, si lis iam contestata fuerit, iudex et adversa pars certiores facti sint de remotione.

§ 2. Lata definitiva sententia, ius et officium appellandi, si mandans non renuat, procuratori manet.

Can. 88 (SN 182)

§ 1. Vetatur uterque emere litem, aut sibi de immodico emolumento vel rei litigiosae parte vindicata pacisci.

§ 2. Quae si fecerint, nulla est pactio, et a iudice poterunt poena pecuniaria mulctari. Advocatus praeterea tum ab officio suspendi, tum etiam, si recidivus sit, a Hierarcha cui tribunal immediate subicitur destitui et ex albo advocatorum expungi potest.

Can. 89 (SN 183)

Advocati ac procuratores qui ob dona aut pollicitationes aut quamlibet aliam rationem suum officium prodiderint, a patrocinio exercendo suspendantur, et mulcta pecuniaria aliisve congruis poenis plectantur.

Caput VIII

DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS

Can. 90 (SN 184)

Quodlibet ius non solum actione munitur, nisi aliud expresse cautum sit, sed etiam exceptione, quae semper competit et est suapte natura perpetua.

Can. 91 (SN 221)

Actiones de statu personarum numquam extinguuntur; nisi aliud expresse caveatur, ceterae actiones contentiosae extinguuntur intra quinquennium, a die a qua actio primum potuit iure proponi, firmis, ubi vigeant, hac in re *Statutis personalibus*.

Can. 92 (SN 222, 225)

Omnis poenalis actio perimitur morte rei, condonatione legitimae potestatis, praescriptione quae decurrit a die qua crimen perpetratum fuerit vel, si habituale vel continuatum, cessaverit.

Can. 93 (SN 223)

Tempus utile ad actionem poenalem proponendam est triennium quod attinet ad delicta iure communi punita et, nisi lex particularis aliud statuatur, etiam quod attinet ad cetera delicta.

Can. 94 (SN 224)

Sublata per praescriptionem actione poenali:

1° non est hoc ipso sublata actio contentiosa forte ex delicto orta ad damna resarcienda;

2° si bonum publicum id requirat, Hierarcha remediis opportunis administrativis, non exclusa suspensione ab exercitio sacri ministerii vel remotio-
ne ab officio, uti potest.

Can. 95 (SN 143)

§ 1. Exceptiones dilatoriae, eae praesertim quae respiciunt personas et modum iudicii, opponendae et cognoscendae sunt ante contestationem litis, nisi contestata iam lite primum emergerint quo in casu quamprimum definiendae sunt.

§ 2. Exceptio tamen de incompetencia iudicis absoluta vel de excommunicatione maiore a partibus opponi potest in quovis statu et gradu iudicii.

Can. 96 (SN 144)

§ 1. Exceptiones rei iudicatae, transactionis et aliae peremptoriae, quae dicuntur litis finitae, proponi et cognosci debent ante contestationem litis; qui serius eas opposuerit, non est reiiciendus, sed condemnetur in expensas, nisi probet se oppositionem malitiose non distulisse.

§ 2. Aliae exceptiones peremptoriae opponi debent post contestatam litem, et suo tempore tractandae sunt secundum regulas circa quaestiones incidentes.

Can. 97 (SN 145, 210, 211, 212)

§ 1. Actiones reconventionales, seu eae quas pars conventa in eodem iudicio instituit contra actorem vel propter causae nexum cum actione principali vel ad submovendam vel minuendam actoris petitionem, satius statim post litis contestationem, utiliter quovis iudicii momento, ante conclusionem in causa proponi possunt.

§ 2. Proponendae sunt iudici coram quo actio principalis instituta est, licet ad unam causam dumtaxat delegato vel alioquin incompetenti, nisi, ad actionem reconventionalem quod attinet, is sit absolute incompetens; cognoscantur autem simul cum conventionali actione, hoc pari gradu cum ea, nisi eas separatim cognoscere necessarium sit aut iudex opportunius existimaverit.

§ 3. Actio reconventionalis locum habere potest in omnibus causis contentiosis, exceptis causis spoli; reconventio tamen reconventionis non admittitur.

Can. 98

Quaestiones de cautione pro expensis iudicialibus praestanda aut de concessione gratuiti patrocinii, quod statim ab initio postulatum fuerit et aliae huiusmodi videndae regulariter sunt ante litis contestationem.

Can. 99 (SN 147, 148, 219)

§ 1. Si quaestio praeiudicialis aliaeve incidentes oriantur, cognoscantur prius eae quarum solutio viam sternat ad aliarum solutionem.

§ 2. Si de spolio incidat quaestio, haec ante omnia est dirimenda; spoliatus adversus spoliantem excipiens et probans spolium, obligatione respondendi non tenetur, nisi fuerit in suam possessionem restitutus.

Can. 100 (SN 189-193; 196-198; 204-205; 213-220)

In actionibus iudici ecclesiastico propositis quae sequuntur, servanda sunt praescripta processualia iuris civilis quae tribunalia civilia in loco in quo tribunal ecclesiasticum situm est applicant, quatenus neque contra ius divinum sint neque contra aequitatem canonicam, et nisi aliter iure canonico communi vel particulari caveatur:

1° actiones de rescissione actuum, qui ex iure canonico sint validi sed rescindibiles;

2° actiones de adipiscenda, retinenda, vel recuperanda possessione alicuius rei vel iuris necnon actiones de spolio;

3° actiones de rei sequestratione et de inhibitione exercitii iuris, quando quis probabilibus saltem argumentis ostenderit super aliqua re ab alio detenta ius se habere sibi quod damnum imminere nisi res ipsa custodienda tradatur vel ut iuris exercitium alicui inhibeat;

4° actiones ex operis nuntiatione, ubi quis petit ut novum opus, vel vetus quod magna ex parte immutetur, interrumpatur, quia timet ex eo opere damna rei suae obventura;

5° actiones de damno infecto ad obtinendam periculi remotionem, aut cautionem de damno vel avertendo, vel si forte evenierit resarciendo, ab illo promotae qui grave damnum rei suae imminere pertimescit ex quacunque re;

6° actiones ad exhibenda documenta, firmo canone 169.

Can. 101 (SN 199)

Si actus aut contractus sit ipso iure nullus, datur ei, cuius interest, actio ad obtinendam a iudice declarationem nullitatis.

Can. 102 (SN 203)

De confirmatione a Romano Pontifice actui vel instrumento adiecta nullus iudex videre potest, sine ipsius Romani Pontificis mandato.

Can. 103 (SN 194)

Quoties introducta est petitio ad obtinendam provisionem ad hominis sustentationem, iudex, auditis partibus, decreto statim exsequendo, statuere potest, idoneis si res ferat praescriptis cautionibus, ut interim necessaria alimenta praestentur, sine praeiudicio iuris per sententiam definiendi.

Can. 104 (SN 195)

Proposita a parte vel a promotore iustitiae petitione ad obtinendum decretum de quo in can. 103, iudex, audita altera parte, expeditissime provideat, numquam autem ultra decem dies; quibus inutiliter transactis, aut petitione reiecta, patet recursus ad Hierarcham cui tribunal subiicitur, dummodo ipse ne sit iudex, vel si quis malit, ad iudicem appellationis, qui item expeditissime decernat.

Can. 105

§ 1. In causis matrimonialibus, libello vel orali petitione admissa, coniux postulare potest ut iudex suae filiorumque minorum securitati provideat.

§ 2. Si minores adsint liberi statuatur iudex per decretum cui committi debeant pendente processu.

Caput IX

DE MODIS EVITANDI IUDICIA

ART. I - *De transactione*

Can. 106 (SN 95)

In transactione servantur normae statutae a legibus civilibus loci in quo transactio initur, nisi iuri divino vel canonico adversentur et salvo praescripto canonum qui sequuntur.

Can. 107 (SN 96)

§ 1. Transactio valide fieri nequit in causis circa eas res vel ea iura, quae ad bonum publicum pertinent, aliaque, de quibus partes libere disponere nequeunt.

§ 2. Sed si quaestio fiat de bonis temporalibus ecclesiasticis, transactio fieri potest, servatis tamen, si materia id postulet, sollemnitatibus a iure statutis de alienatione rerum ecclesiasticarum.

Can. 108 (SN 97)

§ 1. Effectus transactionis ad exitum feliciter perductae dicitur compositio seu concordia.

§ 2. Expensarum, quas transactio postulaverit, nisi aliud expresse cautum sit, utraque pars dimidium solvat.

Can. 109 (SN 94)

Iudex transactionis negotium non ipse per se, regulariter saltem, suscipiat tractandum, sed illud alicui ex iudicibus eparchialibus committat.

ART. II - *De compromisso in arbitros*

Can. 110 (SN 98)

§ 1. Qui controversiam inter se habent, possunt scripto convenire ut ea ab arbitris dirimatur.

§ 2. Idem scripto convenire possunt qui contractum inter se ineunt vel inierunt, quod attinet ad controversias ex eo contractu forte orituras.

Can. 111 (SN 99)

Nequeunt in arbitros compromitti controversiae de quibus transactio fieri vetatur.

Can. 112 (SN 100)

§ 1. Unus vel plures arbitri constitui possunt, dispari tamen numero.

§ 2. In ipso compromisso, nisi nominatim designentur, debet saltem eorum numerus praefiniri et simul ratio statui qua nominandi et substituendi sint.

Can. 113 (SN 101)

Compromissum est irritum:

1° si servatae non sint normae statutae ad validitatem contractuum, qui ordinariam administrationem excedunt;

2° si scripto non sit exaratum;

3° si procurator sine mandato speciali in arbitros compromisit aut violata sint praescripta can 111 vel 112.

4° si controversia non sit vel orta, vel ex certo contractu oritura, ad normam can 110.

Can. 114 (SN 103)

Munus arbitri valide gerere non possunt:

1° minores;

2° innodati poena excommunicationis, suspensionis vel depositionis;

3° Monachi ceterique sodales Institutorum vitae consecratae sine licentia Superioris.

Can. 115 (SN 104)

Arbitri nominatio vim non habet, nisi ipse scripto munus acceptet.

Can. 116 (SN 102)

§ 1. Si arbitri non sint in compromisso designati, vel si suffiendi sint, et partes aliive, quibus designatio demandata est, dissentiant de omnibus vel nonnullis arbitris seligendis, quaelibet pars potest id tribunali quod competens esset ad causam definiendam in primo gradu committere, nisi partes aliter convenerint. Tribunal auditis ceteris partibus, decreto provideat.

§ 2. Eadem norma servanda est si qua pars aliusve negligat arbitrum designare, dummodo tamen ipsa pars quae ad tribunal recurrit, viginti saltem ante dies, suos arbitros, si forte debuit, designaverit.

Can. 117 (SN 106)

§ 1. Arbitri recusari possunt ad normam can. 95.

§ 2. De recusatione autem videt tribunal de quo in can. 116 § 1; quod, auditis arbitris recusatis et partibus, decreto quaestionem dirimat; si recusationem acceptet alios arbitros sufficiat, nisi in compromisso aliud cautum sit.

Can. 118 (SN 105)

§ 1. Obligationes arbitrorum in ipso compromisso statuendae sunt, eae quoque quae secretum officii spectant.

§ 2. Nisi partes aliter statuerint, arbitri rationem procedendi, libere seligunt; simplex autem ipsa sit, et breves termini, naturali aequitate servata, et legis processualis ratione habita.

§ 3. Arbitri quavis coercitiva carent potestate; necessitate exigente, adire debent tribunal competens ad causam cognoscendam.

Can. 119 (SN 108)

§ 1. Quaestiones incidentes quae forte exoriantur ipsi arbitri decreto dirimant.

§ 2. Si autem quaestio praeiudicialis oriatur de qua compromitti in arbitros nequeat, arbitri debent suspendere processum, donec de illa quaestione partes a iudice obtinuerint arbitrisque significaverint sententiam quae tran-

sierit in rem iudicatam, vel, si quaestio sit de statu personarum, sententiam quae executioni mandari possit.

Can. 120 (SN 109)

Nisi partes aliter statuerint, arbitralis sententia proferri debet intra sex menses a die quo omnes arbitri munus acceptaverint; terminus prorogari potest a partibus.

Can. 121 (SN 111)

§ 1. Arbitralis sententia ad maiorem suffragiorum numerum fertur.

§ 2. Quatenus res patitur conscribatur ad modum sententiae iudicialis et a singulis arbitris subscribatur; ad eiusmet autem validitatem requiritur et sufficit ut maior eorum numerus eidem subscribat.

Can. 122 (SN 105)

§ 1. Nisi sententia sit irrita propter gravem ipsorum culpam, arbitri ius habent ad impensarum restitutionem; qua de re possunt opportunas cautiones exigere.

§ 2. Suadetur ut arbitri gratuitam operam praestant, secus de compensatione in ipso compromisso provideatur.

Can. 123 (SN 112, 121)

§ 1. Exaratae ab arbitris sententiae integer textus intra quindecim dies ad cancellariam tribunalis eparchiae ubi sententia data est deponi debet; et intra quinque dies a depositione, nisi certo constet sententiam nullitate affectam esse, Vicarius iudicialis, per se vel per alium, decretum confirmationis proferat, partibus statim notificandum.

§ 2. Si Vicarius iudicialis hoc decretum proferre recuset, vel si transactis decem diebus a deposita sententia decretum non ediderit, pars cuius interest recurrere potest ad tribunal appellationis, servatis praescriptis canonis 129 §§ 3 et 4.

§ 3. Si certo constat sententiam nullitate affectam esse ob neglecta praescripta ad validitatem compromissi statuta, Vicarius iudicialis nullitatem declaret ac partibus quamprimum notificet, omni recursu contra hanc declarationem remoto.

§ 4. Arbitralis sententia transit in rem iudicatam statim ac decretum confirmationis prolatum sit, firmo can. 124.

Can. 124 (SN 120, 121)

§ 1. Appellatio a sententia arbitrari tunc tantum admittitur cum partes scripto inter se convenerunt sententiam huic remedio subiectam iri; quo in casu appellatio proponenda est intra decem dies a notificatione decreti de quo in canone 123 § 1, coram ipso iudice, qui decretum tulit; si autem alius sit iudex competens ad appellationem recipiendam, prosecutio coram eo intra mensem est facienda.

§ 2. Arbitrorum sententia, contra quam appellatio admittitur, transit in rem iudicatam ad normam canonis 264.

Can. 125 (SN 115, 116, 117, 118, 119)

De quaerela nullitatis contra sententiam arbitralem, quae in rem iudicatam transiit, de tertii oppositione contra ipsam, de restitutione in integrum, quando de eiusdem sententiae iniustitia manifesto constat, necnon de correctione erroris materialis sententiae videt iudex qui decretum confirmationis tulit, ad ordinarias normas iuris.

Can. 126 (SN 122)

§ 1. Arbitrorum sententiae executio fieri potest in iisdem casibus quibus admittitur executio sententiae iudicialis.

§ 2. Executio pertinet ad Hierarcham loci in quo data est, nisi partes alium exekutorem designaverint.

TITULUS XXIV

DE IUDICIO CONTENTIOSO

Caput I

DE IUDICIO CONTENTIOSO ORDINARIO

ART. I - *De libello litis introductorio*

Can. 127 (SN 228, 229)

Qui aliquem convenire vult debet petitionem competenti iudici exhibere scripto vel, si iudex id admittat, oretenus, quo in casu iudex notarium iubeat scriptis actum redigere qui actori legendus est et ab eo probandus, quique libelli ab auctore scripti ad omnes iuris effectus locum tenet.

Can 128 (SN 228, 230)

§ 1. Petitione controversiae obiectum proponitur et ministerium iudicis expostuletur.

§ 2. Libellus quo lis introducit debet:

1° exprimere coram quo iudice causa introducatur, quid petatur et a quo petatur;

2° indicare quo iure innitatur actor et generatim saltem quibus factis et probationibus ad evincenda ea quae asserentur;

3° subscribi ab actore vel eius procuratore, appositis die, mense et anno, necnon loco in quo actor vel eius procurator habitant aut residere se dixerunt actorum recipiendorum gratia;

4° afferre domicilium vel quasi-domicilium partis conventae, quod si fieri nequit id apte indicetur.

Can. 129 (SN 231)

§ 1. Tribunal, postquam viderit et rem esse suae competentiae et actori legitimam personam standi in iudicio non deesse, debet, suo decreto, quamprimum libellum aut admittere aut ad normam § 2 reicere.

§ 2. Reiectio libelli, auditis, si casus ferat, vinculi defensore et promotore iustitiae, quantocius fieri debet adiectis reiectionis causis.

§ 3. Si libellus reiectus fuerit ob vitia quae emendari possunt, actor novum libellum rite confectum potest eidem iudici denuo exhibere; quod si emendata petitio reiecta fuerit, novae reiectionis rationes exponendae sunt.

§ 4. Adversus libelli reiectionem integrum est semper parti intra tempus utile decem dierum recursum interponere ad tribunal appellationis; a quo, audita parte, quaestio reiectionis expeditissime definienda est.

Can. 130 (SN 232)

Si iudex intra mensem ab exhibita petitione decretum non ediderit, quo libellum admittit vel reiicit, pars cuius interest instare potest ut iudex suo munere fungatur; quod si nihilominus iudex sileat, inutiliter lapsis decem diebus a facta instantia, petitio pro admissa habeatur.

ART. II - *De citatione et denuntiatione actuum iudicialium*

Can. 131 (SN 233)

§ 1. In decreto, quo actoris libellus admittitur, debet iudex vel praeses alteram partem et, si sint plures, singulas ceteras partes in iudicium vocare seu citare ad litem contestandam.

§ 2. Si libellus pro admissio habetur ad normam can. 130 decretum citationis in iudicium fieri debet intra viginti dies a facta instantia, de qua in eo canone.

§ 3. Quod si partes litigantes de facto coram iudice se sistant ad causam agendam, opus non est citatione, sed actuarius significet in actis partes iudicio adfuisse.

Can. 132 (SN 234, 235)

§ 1. Decretum citationis in iudicium debet statim parti conventae notificari, et simul aliis, qui comparere debent, notum fieri.

§ 2. Si lis moveatur ei qui non habet liberum exercitium suorum iurium, vel liberam administrationem rerum de quibus disceptatur, citatio denuncianda est, ei qui ipsius nomine iudicium suscipere debet ad normam iuris.

Can. 133 (SN 237, 238)

§ 1. Citatio denuntietur per schedam quae, praeter actoris nomen, praeceptum iudicis ad comparandum exprimat, indicatis causa, loco, die et hora comparitionis et aliis quae lex particularis forte requirat.

§ 2. Citationi libellus litis introductorius adiungatur, nisi iudex propter graves causas censeat libellum significandum non esse parti antequam haec deposuerit in iudicium.

§ 3. Citatio, sigillo tribunalis munita, subscribenda est a iudice vel ab eius auditore et a notario; duplici scheda conficiatur, quarum altera remittatur parti conventae altera asservetur in actis.

Can. 134 (SN 239, 246)

§ 1. Citationum, decretorum, sententiarum aliorumque actorum notificatio facienda est per publicos tabellarios cum syngrapha receptionis vel alio modo qui tutissimus sit, servatis normis lege particulari statutis.

§ 2. De facto notificationis et de eius modo constare debet in actis.

§ 3. Conventus qui citatoriam schedam recipere recuset vel qui impedit quominus citatio ad se perveniat, legitime citatus habeatur.

Can. 135 (SN 245)

Si citatio non fuerit legitime notificata nulla sunt acta processus, nisi pars nihilominus comparuerit ad causam tractandam.

Can. 136 (SN 247, 253, 254)

Cum citatio legitime notificata fuerit aut partes coram iudice steterint ad causam tractandam:

1° res desinit esse integra;

2° causa fit propria illius iudicis aut tribunalis ceteroquin competentis, coram quo actio instituta est;

3° interruptitur praescriptio, nisi aliud cautum sit, ad normam canonis 179 schematis « De normis generalibus »¹;

4° instantiae initium fit; et ideo statim locum habet principium « lite pendente, nihil innovetur ».

ART. III - *De litis contestatione*

Can. 137 (SN 248)

Obiectum seu materia iudicii determinatur litis contestatione qua proponuntur controversiae termini iudicialiter definiendi.

Can. 138 (SN 249, 250)

Ad litis contestationem sufficit ut, partibus coram iudice vel eius delegato comparentibus, in actis inserantur partium petitiones responsionesque; in causis autem implicationibus dubium vel dubia concordantur, quibus respondendum est in sententia.

Can. 139 (SN 251)

§ 1. Si dubia sint concordanda et qua pars non comparuerit, dubiorum formula statuatur a iudice, parte, quae praesens fuerit, id postulante. Parti autem absenti statim id notum fiat ex officio intra tempus quod iudici congruum videatur.

§ 2. Si vero partes dissentiant aut earum conclusiones iudici non probentur, iudex ipse controversiam dirimat decreto.

§ 3. Dubiorum formula semel statuta mutari non potest, nisi novo decreto, ex gravi causa, ad instantiam partis, audita utraque vel alterutra parte eiusque rationibus perpensis.

¹ Remittitur ad can. 247 Motu proprio « Sollicitudinem Nostram » (cf. can. 179 schematis « De normis generalibus » - sensus est « ad normam iuris »).

Can. 140 (SN 253)

Lite contestata, iudex congruum tempus partibus praestituat probationibus proponendis et explendis.

Can. 141 (SN 253)

Lite contestata possessor rei alienae desinit esse bonae fidei; ideoque, si damnatur ut rem restituat, fructus quoque a contestationis die reddere debet et damna sarcire.

ART. IV - *De litis instantiae suspensione, peremptione et renuntiatione*

Can. 142 (SN 255)

Si pars litigans moriatur aut statum mutet aut cesset ab officio cuius ratione agit:

1° causa nondum conclusa, instantia suspenditur donec heres defuncti aut successor aut is cuius intersit litem resumat;

2° causa conclusa, iudex procedere debet ad ulteriora, citato procuratore, si adsit, secus defuncti herede vel successore.

Can. 143 (SN 257)

§ 1. Si a munere cesset tutor vel curator vel procurator, qui sit ad normam canonis 79 necessarius, instantia ad interim suspenditur.

§ 2. Alium autem tutorem vel curatorem iudex quamprimum constituat; procuratorem vero ad litem de quo in § 1 constituere potest si pars neglexerit id facere intra triginta dies.

Can. 144 (SN 258)

In quolibet gradu iudicii si nullus actus processualis, quin aliquod obstet impedimentum, ponatur a partibus per sex menses, instantia perimitur. In iure particulari alii peremptionis termini statui possunt.

Can. 145 (SN 259)

Peremptio obtinet ipso iure et adversus omnes, minores quoque aliosve, minoribus aequiparatos, eaque ex officio etiam declarari debet, salvo iure petendi indemnitatem adversus tutores, curatores, administratores, procuratores, qui culpa se caruisse non probaverint.

Can. 146 (SN 260)

Peremptio exstinguit acta processus, non vero acta causae; imo haec vim habere possunt etiam in alio gradu iudicii dummodo ea inter easdem personas et super eadem re intercedat; sed ad extraneos quod attinet, non aliam vim obtinent nisi documentorum.

Can. 147 (SN 261)

Perempti iudicii expensas quas quisque ex litigatoribus fecerit, ipse ferat.

Can. 148 (SN 262)

§ 1. In quolibet statu et gradu iudicii potest actor instantiae renuntiare; item tum actor tum pars conventa possunt processus actis renuntiare sive omnibus sive nonnullis tantum.

§ 2. Ut renuntiare possint instantiae tutores et curatores indigent consensu Hierarchae de quo in canone 76, administratores vel Rectores personarum iuridicarum vero egent consilio vel consensu eorum quorum concursus requiritur ad ponendos actus qui ordinariae administrationis fines excedunt.

§ 3. Renuntiatio ut valeat, peragenda est scripto, et a parte vel ab eius procuratore, speciali tamen mandato munito, debet subscribi, cum altera parte communicari, ab eaque acceptari, vel saltem non impugnari, et a iudice admitti.

Can. 149 (SN 263)

Renuntiatio a iudice admissa, pro actis quibus renuntiatum est, eosdem parit effectus ac peremptio instantiae; et obligat renuntiantem ad solvendas expensas actorum, quibus renuntiatum fuit.

ART. V - *De probationibus*

Can. 150 (SN 269, 270)

§ 1. Onus probandi incumbit ei qui asserit.

§ 2. Non indigent probatione:

1° quae ab ipsa lege praesumuntur;

2° facta ab uno ex contendentibus asserta et ab altero admissa, nisi a iure vel a iudice probatio nihilominus exigatur.

Can. 151 (SN 271)

§ 1. Probationes cuiuslibet generis, quae ad causam utiles videantur et sint licitae, adduci possunt.

§ 2. Probationes quae ad moras iudicio nectendas postulari videntur, ceu examen testis longe dissiti, aut cuius domicilium nescitur, vel cognitio documenti quod cito haberi non potest, iudex ne admittat, nisi haec probationes necessariae videantur quia ceterae deficiant aut satis non sint.

Can. 152

Si qua pars vel testis non catholicus coram tribunali se sistere ad respondendum renuat, meliore quo potest modo audiatur vel eiusdem declaratio requiratur: iudicis est aestimare quanti haec declaratio facienda sit.

Can. 153 (SN 252)

Iudex ad probationes colligendas ne procedat ante litis contestationem nisi ob gravem causam.

1) De partium declarationibus

Can. 154 (SN 264)

Iudex ad veritatem aptius eruendam partes interrogare semper potest, imo debet, ad instantiam partis vel ad probandum factum quod publice interest extra dubium poni.

Can. 155 (SN 265)

§ 1. Pars legitime interrogata debet respondere et veritatem integre fateri nisi responsione reveletur delictum ab ipsa commissum.

§ 2. Si pars legitime interrogata respondere recuset, quanti facienda sit haec recusatio, utrum iusta sit, an confessioni aequiparanda, necne, iudicis est aestimare.

Can. 156 (SN 266)

In casibus, in quibus bonum publicum in causa est, iudex partibus interrogandis iusiurandum de veritate dicenda aut saltem de veritate dictorum, deferat, nisi gravis causa aliud suadeat; in aliis casibus, potest pro sua prudentia.

Can. 157 (SN 267)

Partes, promotor iustitiae et defensor vinculi possunt iudici exhibere articulos, super quibus pars interrogetur.

Canfl. 158 (SN 268)

De partium interrogatione regulae cum proportionem serventur quae in canonibus 175 et 180-185 de testibus statuuntur.

Can. 159 (SN 172)

Assertio de aliquo facto, scripto vel ore, coram iudice competenti, ab aliqua parte circa ipsam iudicii materiam, sive sponte sive iudice interrogante, contra se peracta, est confessio iudicialis.

Can. 160 (SN 273)

§ 1. Confessio iudicialis unius partis, si agatur de negotio aliquo privato et in causa non sit bonum publicum, ceteras relevat ab onere probandi.

§ 2. In causis autem quae respiciunt bonum publicum, confessio iudicialis et partium declarationes quae non sint confessiones vim probandi habere possunt, a iudice aestimandam una cum ceteris causae adiunctis, at vis plenae probationis ipsis tribui nequit, nisi alia accedant elementa quae eas omnino corroborent.

Can. 161 (SN 275, 265)

Extraiudicialis confessio in iudicium deducta, iudicis est, perpensis omnibus adiunctis, aestimare quanti facienda sit.

Can. 162 (SN 273)

Confessio vel alia quaevis partis declaratio qualibet vi caret si constet eam ex errore facti esse prolatam, aut vi vel metu gravi extortam.

2) De probatione per documenta

Can. 163 (SN 335)

In quolibet iudicii genere admittitur probatio per documenta tum publica tum privata.

Can. 164 (SN 336)

§ 1. Documenta publica ecclesiastica ea sunt quae persona ratione sui muneris publici in Ecclesia confecit, servatis sollemnitatibus a iure praescriptis.

§ 2. Documenta publica civilia ea sunt quae secundum uniuscuiusque loci leges talia iure censentur.

§ 3. Cetera documenta sunt privata.

Can. 165 (SN 337, 339)

Documenta publica fidem faciunt de iis quae directe et principaliter in iis affirmantur nisi contrariis et evidentibus argumentis aliud evincatur; firma lege civili loci, documenta civilia quod spectat, aliud statuente.

Can. 166 (SN 340)

Documentum privatum, sive agnitum a parte sive recognitum a iudice, eandem probandi vim habet adversus auctorem vel subscriptorem et causam ab iis habentes, ac confessio extra iudicium facta; sed per se non habet vim probandi adversus extraneos.

Can. 167 (SN 341)

Si abrasa, correctata, interpolata aliove vitio documenta infecta demonstrentur, iudicis est aestimare an et quanti huiusmodi documenta facienda sint.

Can. 168 (SN 342-343)

Documenta vim probandi in iudicio non habent, nisi originalia sint aut in exemplari authentico exhibita et penes tribunalis cancellariam deposita ut a iudice et ab adversario examinari possint.

Can. 169

§ 1. Nemo exhibere tenetur documenta, etsi communia, quae communicari nequeunt sine periculo damni ad normam canonis 171 § 2 n. 2 aut sine periculo violationis secreti servandi.

§ 2. Attamen si qua saltem documenti particula describi possit, et in exemplari exhiberi sine memoratis incommodis, iudex decernere potest ut eadem producat.

3) De testibus et attestationibus

Can. 170 (SN 276)

Probatio per testes in quibuslibet causis admittitur sub iudicis moderatione.

Can. 171 (SN 277)

§ 1. Testes iudici legitime interroganti veritatem fateri debent.

§ 2. Salvo praescripto canonis 173 § 2 n. 2, ab obligatione respondendi eximuntur:

1° omnes qui ad secretum officii etiam ratione praestiti consilii tenentur, quod attinet ad negotia huic secreto obnoxia;

2° qui ex testificatione sua sibi aut coniugi aut proximis consanguineis vel affinibus infamiam, periculosas vexationes, aliave mala gravia obventura timent.

a) Qui testes esse possint

Can. 172 (SN 278)

Omnes possunt esse testes, nisi expresse a iure repellantur vel in totum vel ex parte.

Can. 173 (SN 279)

§ 1. Non admittantur ad testimonium ferendum impuberes et mentis debiles; audiri tamen poterunt ex decreto iudicis quo id expedire declaretur.

§ 2. Incapaces habentur:

1° qui partes sunt in causa, aut partium nomine in iudicio consistunt, iudex eiusve assistentes, advocatus alique qui partibus in eadem causa assistunt vel astiterunt;

2° sacerdotes, quod attinet ad ea omnia quae ipsis ex confessione sacramentali innotuerunt, etsi poenitens eorum manifestationem petierit; imo audita a quovis et quoquo modo occasione confessionis ne ut indicium quidem veritatis recipi possunt.

b) De inducendis et excludendis testibus

Can. 174 (SN 281)

§ 1. Testes a partibus inducuntur.

§ 2. Possunt etiam induci a promotore iustitiae et defensore vinculi, si id ad causam intersit.

§ 3. Sed ipse iudex, quoties agitur de minoribus aliisve qui minoribus aequiparantur, et generatim quoties publicum bonum id exigit, potest testes ex officio inducere; itemque in casu de quo in canone 53 § 2.

§ 4. Pars, quae testem induxit, potest eius examini renuntiare; sed adversarius postulare potest ut, hac non obstante renuntiatione, testes examini subiiciatur.

Can. 175 (SN 283-284)

§ 1. Cum probatio per testes postulatur, eorum nomina, non plus quam octo nisi gravi de causa a iudice probata, tribunali indicentur.

§ 2. Exhibeantur, intra terminum a iudice praestitutum articuli argumentorum super quibus petitur testium interrogatio, alioquin petitio censetur deserta.

Can. 176 (SN 285)

Partes debent per iudicem sibi invicem nota facere testium nomina antequam eorum examen inchoetur, aut, si id, prudenti iudicis existimatione, fieri sine gravi difficultate nequeat, saltem ante testimoniorum publicationem.

Can. 177 (SN 286)

§ 1. Praeter testes de quibus in canone 173 alii quoque excludi possunt, parte postulante, si iusta exclusionis causa demonstretur.

§ 2. Exclusio testis fieri debet intra triduum postquam testium nomina cum parte communicata fuerint: ne examen testis inchoari potest ante decisionem circa eiusdem exclusionem.

Can. 178 (SN 287, 288)

§ 1. Testis rite a iudice citatus pareat aut causam suae absentiae iudici notam faciat.

§ 2. Testis inoboediens, qui nempe sine legitima causa non comparuit, aut, etsi comparuit, renuit respondere, a iudice potest congruis poenis coerceri et insuper mulctari pro rata damni quod ex eius inoboedientia partibus obveniat.

c) De testium examine

Can. 179 (SN 289, 291)

Antequam testis testimonium edat iudex ipsi deferat iuramentum de tota ac sola veritate dicenda; si testis renuat illud emittere iniuratus audiatur.

Can. 180 (SN 292)

§ 1. Testes sunt examini subiiciendi in ipsa tribunalis sede vel in iudiciali accessu de quo in can. 204 nisi aliud gravi de causa iudici videatur, servato, si casus ferat, canone 16.

§ 2. Episcopi et ii, qui, suae civitatis iure, simili favore gaudent, audiantur in loco ab ipsis selecto.

Can. 181 (SN 294)

§ 1. Testes seorsim singuli examinandi sunt.

§ 2. Si testes inter se aut cum parte in re gravi dissentiant, iudex discrepantes inter se conferre seu comparare potest, remotis, quantum possibile erit, dissidiis et scandalo.

Can. 182 (SN 295)

Examen testis fit a iudice, vel ab eius delegato aut auditore, cui assistat oportet notarius. Quapropter partes, vel promotor iustitiae, vel defensor vinculi, vel advocati qui examini intersint si alias interrogationes testi faciendas habeant, has non testi, sed iudici vel eius locum tenenti proponant, ut eas ipse deferat, si id opportunum duxerit.

Can. 183 (SN 296)

Iudex imprimis testis identitatem comprobet; exquirat quaenam sit ipsi cum partibus necessitudo et, cum ipsi interrogationes specificas circa causam defert, sciscitet quoque fontes eius scientiae et quo definito tempore ea, quae asserit, cognoverit.

Can. 184 (SN 297)

Interrogationes breves sunt, interrogandi intelligentiae accomodatae, non plura simul complectentes, non captiosae, non subdolae, non suggerentes responsionem, remotae a cuiusvis offensione et pertinentes ad causam quae agitur.

Can. 185 (SN 298)

§ 1. Interrogationes non sunt cum testibus antea communicandae.

§ 2. Attamen si ea quae testificanda sunt ita a memoria sint remota, ut nisi prius recolantur, certo affirmari nequeant, poterit iudex nonnulla testem praemonere, si id sine periculo fieri censeat.

Can. 186 (SN 299)

Testes ore testimonium dicant, et scriptum ne legant, nisi de calculo et rationibus agatur; tunc enim adnotationes, quas secum attulerunt, poterunt consulere.

Can. 187 (SN 300)

Responsio statim redigenda est scripto a notario, et referre debet ipsa editi testimonii verba, saltem quod attinet ad ea quae iudicii materiam directe attingunt, firmo canone 42 § 3.

Can. 188 (SN 302)

Notarius in actis mentionem faciat de praestito, remisso aut recusato iureiurando, de partium aliorumque praesentia, de interrogationibus ex officio additis deque ceteris omnibus memoria dignis quae forte acciderint, cum testes excutiebantur.

Can. 189 (SN 303)

§ 1. In fine examinis testi legi debent quae notarius de eius depositione scripto redegit, data eidem testi facultate addendi, supprimendi, corrigendi, variandi.

§ 2. Denique actui subscribere debent testis, iudex et notarius.

Can. 190 (SN 304)

Testes, quamvis iam excussi, poterunt, parte postulante aut ex officio, antequam acta seu testimonia publici iuris fiant, denuo ad examen vocari, si iudex id necessarium vel utile ducat, dummodo tamen omnis collusionis vel corruptelae absit periculum.

Can. 191 (SN 310)

§ 1. Testis ius habet ad compensationem impensarum, quas sustinebit ratione itineris et commorationis in loco iudicii, et ad congruam indemnitatem pro interruptione sui negotii vel operis.

§ 2. Iudicis est, audita parte et teste, taxare indemnitatem et expensas testi solvendas.

Can. 192 (SN 311)

Si intra peremptorium terminum a iudice praestitutum congrua pecuniae quantitas vel cautio de qua in canone 277 n. 5, ab eo qui testes inducere vult deposita non sit, is testium examini renuntiasse censeatur.

d) De testimoniorum fide

Can. 193 (SN 312)

In aestimandis testimoniis iudex ante oculos habeat:

- 1° quae condicio sit personae, quaeve honestas;
- 2° utrum de scientia propria, praesertim de visu et auditu proprio testificetur, an de sua opinione, de fama, aut de auditu ab aliis;
- 3° utrum testis constans sit et firmiter sibi cohaereat; an varius, incertus vel vacillans;
- 4° utrum testimonii contestes habeat, aliisve probationis elementis confirmetur necne.

Can. 194 (SN 314)

Unius testis depositio plenam fidem facere non potest nisi aliud iure communi caveatur vel agatur de teste qualificato qui deponat de rebus ex officio gestis.

4) De Peritis

Can. 195 (SN 315)

Peritorum opera utendum est quoties ex iuris vel iudicis praescripto eorum examen et votum, praeceptis artis vel scientiae innixum, requiritur ad factum aliquod comprobandum vel ad veram alicuius rei naturam dignoscendam.

Can. 196 (SN 316)

Iudicis est peritos nominare auditis vel proponentibus partibus aut, si casus ferat relationes ab aliis peritis iam factas assumere.

Can. 197 (SN 318)

§ 1. Eisdem ob causas quibus testes, etiam periti excluduntur aut recusari possunt.

§ 2. Qui testes in eadem causa fuerunt vel futuri sint ad peritorum officium assumi nequeunt.

Can. 198 (SN 321)

§ 1. Iudex, attentis iis quae a partibus forte deducantur, singula capita decreto suo definiat circa quae periti opera versari debeat.

§ 2. Perito remittenda sunt acta causae aliaque documenta et subsidia quibus egere potest ad suum munus rite et fideliter exsequendum.

§ 3. Iudex, ipso perito audito, tempus praefiniat intra quod examen perficiendum est et relatio proferenda, admonens, si casus fert, de iis de quibus in § 4.

§ 4. Si periti intra praefinitum tempus mandato non paruerint aut sine iusta causa executionem defugiant, tenentur damnorum.

Can. 199 (SN 324, 325)

§ 1. Periti suam quisque relationem a ceteris distinctam conficiant, nisi iudex unam a singulis subscribendam fieri iubeat; quod si fiat, sententiarum discrimina, si qua fuerint diligenter adnotentur.

§ 2. Periti debent indicare perspicue quibus documentis vel aliis idoneis modis certiores facti sint de personarum vel rerum vel locorum identitate, et qua via et ratione processerint in explendo munere sibi demandato et quibus potissimum argumentis suae conclusiones prolatae nitantur.

§ 3. Peritus accersiri potest a iudice ut explicationes, quae ulterius necessariae videantur, suppeditet.

Can. 200 (SN 326)

§ 1. Si periti inter se discrepent, licet iudici aut peritoris suffragium super relatis a primis peritis exquirere aut novos de integro peritos adhibere.

§ 2. Quoties periti post designationem quacumque de causa suspecti aut impares muneri perspecti fuerint, iudex ipsis novos peritos substituat.

Can. 201 (SN 327)

§ 1. Iudex non peritorum tantum conclusiones, etsi concordēs, sed cetera quoque causae adiuncta attente perpendat.

§ 2. Cum reddit rationes decidendi, exprimere debet quibus motus argumentis peritorum conclusiones aut admiserit aut reiecerit.

Can. 202 (SN 328)

Peritorum expensas et honoraria iudex ex bono et aequo taxare debet, servata lege particulari vel, si haec desit, recepta loci consuetudine prae oculis habita.

Can. 203

§ 1. Partes possunt peritos privatos, a iudice probandos, designare.

§ 2. Hi, si iudex admittat, possunt acta causae, quatenus opus sit, inspicere, peritiae executioni interesse, semper autem possunt suam relationem exhibere.

5) De accessu et recognitione iudiciali

Can. 204 (SN 329, 334)

§ 1. Si ad definitionem causae iudex opportunum duxerit ad aliquem locum accedere vel aliquam rem inspicere, decreto id praestituat quo ea quae in accessu praestanda sint, auditis partibus, summatim describat.

§ 2. Peractae recognitionis conficiatur instrumentum, a iudice et notario subscribendum.

6) De praesumptionibus

Can. 205 (SN 351)

Praesumptiones, quae ab ipsa lege non statuuntur, iudex ut ad iustam sententiam deveniat conicere potest, dummodo hoc fiat ex facto certo et determinato quod cum obiecto controversiae cohaereat.

Can. 206 (SN 349)

Contra ea quae ab ipsa lege praesumuntur admittitur probatio tum directa tum indirecta, nisi expresse dicatur admitti tantum indirectam, hoc est contra id quod est praesumptionis fundamentum.

Can. 207 (SN 350)

Qui pro se habet ea quae ab ipsa lege praesumuntur, liberatur ab onere probandi, quod recidit in partem adversam.

ART. VI - *De causis incidentibus*

Can. 208 (SN 361)

Causa incidens habetur, quoties, incepto per citationem iudicio, quaestio proponitur quae, tametsi libello, quo lis introducitur, non contineatur expresse, nihilominus ita ad causam pertinet ut resolvi plerumque debeat ante quaestionem principalem.

Can. 209 (SN 362)

Causa incidens a partibus proponitur, scripto vel ore, indicato nexu qui intercedit inter ipsam et causam principalem, coram iudice qui causam principalem videt.

Can. 210 (SN 363, 364)

§ 1. Iudex, recepta petitione et auditis partibus, expeditissime decernat utrum proposita incidens quaestio fundamentum habere videatur et nexum cum principali causa, an vero sit in limine reicienda; et, si eam admittat, utrum talis sit gravitatis, ut debeat solvi per sententiam interlocutoriam an per decretum.

§ 2. Si vero iudicet quaestionem incidentem non esse resolvendam ante sententiam definitivam, decernat ut de ea ratio habeatur die definitionis causae principalis.

Can. 211 (SN 364)

Si quaestio incidens solvi debeat per sententiam, servantur normae de processu summario, si vero solvi debeat per decretum, tribunal potest rem committere ponenti vel auditori.

Can. 212 (SN 365)

Antequam finiatur causa principalis tribunal potest decretum vel sententiam interlocutoriam, iusta intercedente ratione, revocare aut reformare, sive ad partis instantiam, sive ex officio, auditis partibus.

1) De partibus non comparentibus

Can. 213 (SN 366-368, 372)

§ 1. Si pars conventa citata non comparuerit nec idoneam absentiae excusationem attulerit, iudex eam a iudicio absentem declaret et decernat ut causa, servatis servandis, usque ad sententiam definitivam eiusque executionem procedat.

§ 2. Antequam decretum, de quo in § 1, feratur, debet, etiam per novam citationem si opus fuerit, constare citationem, legitime factam, ad partem conventam tempore utili pervenisse.

Can. 214 (SN 370-371)

§ 1. Si pars conventa dein in iudicio se sistat ante causae definitionem, conclusiones probationesque afferre potest, firmo praescripto canonis

223, caveat autem iudex ne de industria in longiores et non necessarias moras iudicium protrahatur.

§ 2. Etsi non comparuerit ante causae definitionem, impugnationibus uti potest adversus sententiam; quod si probet se legitimo impedimento fuisse detentam, quod sine sua culpa antea demonstrare non potuerit, querela nullitatis sanabilis uti potest.

Can. 215 (SN 373-374)

§ 1. Si die et hora ad litis contestationem praestitutis actor neque comparuerit neque idoneam excusationem attulerit:

1° iudex eum citet iterum;

2° si actor novae citationi non paruerit, praesumitur instantiae renuntiasset;

3° quodsi postea in processum intervenire velit, servetur canon 214.

§ 2. Ad instantiam partis conventae causa, absente quoque actore, ad finem perducere debet.

Can. 216 (SN 375)

§ 1. Pars absens a iudicio, sive actor sive pars conventa, qui iustum impedimentum non comprobaverit, tenetur obligatione tum solvendi litis expensas, quae ob suam absentiam factae sunt, tum etiam, si opus sit, indemnitatem alteri parti praestandi.

§ 2. Si tum actor tum pars conventa fuerint absentes a iudicio, ipsi obligatione expensas litis solvendi tenentur in solidum.

2) De interventu tertii in causa

Can. 217 (SN 376-377)

§ 1. Is cuius interest admitti potest ad interveniendum in causa, in qualibet instantia, sive ut pars quae proprium ius defendit, sive accessorie ad aliquem litigantem adiuvandum.

§ 2. Sed ut admittatur, debet ante conclusionem in causa libellum iudici exhibere, in quo breviter suum ius interveniendi demonstrat.

§ 3. Qui intervenit in causa, admittendus est in eo statu in quo causa reperitur, assignato eidem brevi ac peremptorio termino ad probationes suas exhibendas, si causa ad periodum probatoriam pervenerit.

§ 4. Tertium, cuius interventus videtur necessarius, iudex, auditis partibus, debet in iudicium vocare.

3) De attentatis lite pendente

Can. 218 (SN 378)

Attentatum est actus quo, pendente lite, ab una parte adversus alteram vel a iudice adversus alterutram vel utramque aliquid innovatur in praeiudicium partis, eaque dissentiente, sive quoad materiam litis, sive quoad iura processualia, nisi ipso iure innovatio admittatur.

Can. 219 (SN 379-381)

Attentatum est ipso iure nullum, quare iudex decernere debet eius revocationem, attamen ipso iure sanatur si intra mensem a die habitae notitiae de attentato quaestio de eo iudici non proponitur.

Can. 220 (SN 379)

Quaestiones de attentatis expeditissime tractandae sunt coram ipso iudice causae principalis si a parte attentatum patratum fuerit; coram tribunali appellationis, si a iudice.

ART. VII - *De actorum publicatione, de conclusionem in causa et de causae discussione*

Can. 221 (SN 382-383)

§ 1. Acquisitis probationibus, iudex decreto partibus et eorum advocatis permittere debet, sub poena nullitatis, ut acta nondum eis nota apud tribunalis cancellariam inspiciant; quin etiam iisdem id petentibus dari potest actorum exemplar, nisi in causis ad bonum publicum spectantibus iudex ad gravissima pericula evitanda aliquod actum nemini tradendum esse censeat.

§ 2. Ad probationes complendas partes possunt alias probationes iudici proponere; quibus, si iudex necessarium duxerit, acquisitis, iterum est locus decreto de quo in § 1.

Can. 222 (SN 384)

§ 1. Expletis omnibus quae ad probationes producendas pertinent, ad conclusionem in causa devenitur.

§ 2. Haec conclusio habetur quoties aut partes declarent se nihil aliud adducendum habere, aut utile proponendis probationibus tempus a iudice praestitutum elapsum sit, aut iudex declaret se satis instructam causam habere.

§ 3. De peracta conclusione in causa, quocumque modo ea acciderit, iudex decretum ferat, omni recursu remoto.

Can. 223 (SN 309, 385)

§ 1. Post conclusionem in causa, iudex potest adhuc eosdem testes vel alios vocare vel alias probationes, quae antea non fuerint petitae, dispo-
nere tantummodo:

1° in causis, in quibus agitur de solo privato partium bono, si omnes partes consentiant;

2° in ceteris causis, auditis partibus et dummodo gravis extet ratio et quodlibet fraudis vel subornationis periculum removeatur;

3° in omnibus causis, quoties veri simile est, ne nisi probatio nova admittatur, sententia iniusta futura sit propter rationes, de quibus in ca-
none 268 § 2 nn. 1, 2, 3.

§ 2. Potest autem iudex iubere vel admittere ut exhibeatur docu-
mentum, quod forte antea sine culpa eius cuius interest, exhiberi non
potuit.

§ 3. Novae probationes publicentur servato canone 221 § 1.

Can. 224 (SN 386)

§ 1. Facta conclusione in causa, iudex congruum temporis spatium
praestituat ad defensiones vel animadversiones exhibendas.

§ 2. Hic terminus prorogari a iudice potest, instante una parte, aliis
auditis; vel etiam coarctari, consentientibus tamen omnibus.

Can. 225 (SN 387, 388)

§ 1. Defensiones et animadversiones scriptae sint, nisi disputationem
pro tribunali sedente iudex, consentientibus partibus, satis esse censeat.

§ 2. Si defensiones cum praecipuis documentis typis imprimantur,
praevia iudicis licentia requiritur, salva secreti obligatione, si qua sit.

§ 3. Quoad extensionem defensionum, numerum exemplarium, alia-
que huiusmodi adiuncta, servetur ordinatio tribunalis.

Can. 226 (SN 389)

§ 1. Communicatis vicissim defensionibus atque animadversionibus, utrique parti responsiones exhibere licet, intra breve tempus a iudice praestitutum.

§ 2. Hoc ius partibus semel tantum esto, nisi iudici gravi ex causa iterum videatur concedendum; tunc autem concessio, uni parti facta, alteri quoque data censetur.

§ 3. Promotor iustitiae et defensor vinculi ius habent iterum replicandi partium responsionibus.

Can. 227 (SN 390)

§ 1. Omnino prohibentur partium vel advocatorum vel etiam aliorum informationes ad iudicem quae extra acta causae maneant.

§ 2. Si causae discussio scripto facta sit, iudex potest statuere ut moderata disputatio fiat ore pro tribunali sedente, ad quaestiones nonnullas illustrandas.

Can. 228 (SN 390)

Disputationi orali de qua in canonibus 225 § 1 et 227 § 2 assistat notarius ad hoc, ut si iudex praecipiat aut pars postulet et iudex consentiat, de disceptatis et conclusis scripto ex continenti referat.

Can. 229 (SN 391)

Si partes parare sibi tempore utili defensionem negligant aut eidem renuntiant, iudex si ex actis et probatis rem habeat plane perspectam, poterit statim sententiam pronuntiare, requisitis tamen animadversionibus promotoris iustitiae et defensoris vinculi, si iudicio intersint.

ART. VIII - *De iudicis pronuntiationibus*

Can. 230 (SN 392)

Causa iudiciali modo pertractata, si sit principalis, definitur a iudice per sententiam definitivam, si sit incidens, per sententiam interlocutoriam vel decretum ad normam canonis 210 § 1.

Can. 231 (SN 393)

§ 1. Ad pronuntiationem cuiuslibet sententiae requiritur in iudicis animo moralis certitudo circa rem sententia definiendam.

§ 2. Hanc certitudinem iudex haurire debet ex actis et probatis.

§ 3. Probationes autem aestimare iudex debet ex sua conscientia, firmis praescriptis legis de efficacia alicuius probationis.

§ 4. Iudex qui eam certitudinem adipisci non potuit, pronuntiet non constare de iure actoris et conventum absolutum dimittat, nisi agitur de causa iuris favore fruente, quo in casu pro ipsa pronuntiandum est.

Can. 232 (SN 395)

§ 1. In tribunali collegiali, qua die et hora iudices ad deliberandum conveniant, collegii praeses statuatur; et nisi peculiaris causa aliud suadeat, in ipsa tribunalis sede conventus habeatur, cui nemo praeter collegii iudices adesse possit ipso notario excluso.

§ 2. Assignata conventui die, singuli iudices scriptas afferant conclusiones suas in merito causae, et rationes tam in iure quam in facto, quibus ad conclusionem suam venerint: quae conclusiones secreto servandae sunt in archivio tribunalis destruendae statim post sententiae publicationem et eiusdem partibus denuntiationem.

§ 3. Prolatis ex ordine, secundum praecedentiam, ita tamen ut semper a causae ponente initium fiat, singulorum conclusionibus, habeatur discussio sub eiusdem ponentis ductu, praesertim ut constabiliatur quid statuendum sit in parte dispositiva sententiae.

§ 4. In discussione autem fas unicuique est a pristina sua conclusione recedere, quod in voto scripto adnotandum est.

§ 5. Quod si iudices in prima discussione ad sententiam devenire aut nolint aut nequeant, differri poterit decisio ad novum conventum non tamen ultra hebdomadam nisi ad normam canonis 223 complenda sit causae instructio.

Can. 233 (SN 396)

§ 1. Si iudex sit unicus, ipse sententiam exarabit.

§ 2. In tribunali collegiali sententia exaranda est desumendo motiva ex iis quae singuli iudices in discussione attulerunt, nisi a maiore numero iudicum praefinita fuerint motiva praefenda; sententia dein singulorum iudicum subiicienda est approbationi.

Can. 234 (SN 397)

Sententia debet:

1° definire contraversiam coram tribunali agitatam, data singulis dubiis congrua responsione;

2° determinare quae sint partium obligationes ex iudicio ortae et quomodo implendae sint;

3° continere rationes seu motiva, tam in iure quam in facto, quibus dispositiva sententiae pars innititur;

4° statuere de litis expensis.

Can. 235 (SN 398)

§ 1. Sententia, post divini Nominis invocationem, exprimat oportet ex ordine qui sit iudex aut tribunal; qui sit actor, pars conventa, procurator, nominibus et domiciliis rite designatis, promotor iustitiae, defensor vinculi, si partem in iudicio habuerint.

§ 2. Referre postea debet breviter facti speciem, cum partium conclusionibus et formula dubiorum.

§ 3. Hisce subsequatur pars dispositiva sententiae, praemissis rationibus quibus innititur.

§ 4. Claudatur cum indicatione diei et loci in quibus pronunciata est et cum subscriptione iudicis vel, si de tribunali collegiali agatur, omnium iudicum et notarii ac sigillo tribunalis muniatur.

Can. 236 (SN 399)

Regulae superius positae pro sententia definitiva sententiae quoque interlocutoriae aptandae sunt.

Can. 237

Sententia edenda est non ultra mensem a die qua causa definita est, nisi, in tribunali collegiali, iudices gravi ex ratione longius tempus praestituerint.

Can. 238 (SN 400)

Sententia publicanda est non ultra mensem a die qua lata est; neque ante publicationem vim ullam habet, etiamsi dispositiva pars, iudice permittente, partibus significata sit.

Can. 239 (SN 401)

Publicata sententia, eius intimatio fieri potest vel tradendo exemplar sententiae partibus aut earum procuratoribus; vel eisdem transmittendo idem exemplar modis quo citatio transmittitur.

Can. 240 (SN 402)

§ 1. Si in sententiae textu vel error irrepserit in calculis vel error materialis acciderit in dispositiva parte transcribenda aut in factis vel partium petitionibus referendis vel omisa sint quae in canone 235 § 4 requiruntur, sententia ab ipso tribunali, quod eam tulit, corrigi vel compleri debet sive ad partis instantiam sive ex officio, semper tamen auditis partibus et decreto ad calcem sententiae apposito.

§ 2. Si qua pars refragetur, questio incidens decreto definiatur.

Can. 241 (SN 392)

Ceterae iudicis pronuntiationes, praeter sententiam, sunt decreta, quae si mere ordinatoriae non sint vim non habent, nisi saltem summarie motiva exprimant, vel ad motiva in alio actu expressa remittant.

ART. IX - *De impugnatione sententiae*

1) De querela nullitatis contra sententiam

Can. 242

Firmis canonibus 243 et 244, nullitates actorum iudicialium, positivo iure statutae, quae, cum essent notae parti querelam proponenti, non sint ante sententiam iudici denuntiatae, censentur ab ipsa sententia sanatae.

Can. 243 (SN 418-419)

§ 1. Sententia vitio insanabilis nullitatis laborat, quando:

1° lata est a iudice absolute incompetenti vel a non legitimo iudicum numero;

2° lata est inter partes quarum altera saltem non habet personam standi in iudicio;

3° quis nomine alterius egit sine legitimo mandato;

4° iudex vi vel metu gravi et iniusto coactus sententiam tulit.

§ 2. Querela nullitatis in casibus de quibus in § 1 proponi potest intra decem annos a die publicationis sententiae, exceptio vero perpetua est.

Can. 244 (SN 420-421)

§ 1. Sententia vitio sanabilis nullitatis laborat, quando:

1° legitima defuit citatio;

2° motivis seu rationibus decidendi est destituta;

3° subscriptionibus caret iure praescriptis;

4° non refert indicationem partium, anni, mensis diei et loci quo prolata fuit;

5° si actui iudiciali, qui sit nullus, innitatur, cuius nullitas non sit ad normam canonis 242 sanata;

6° in casu legitimi impedimenti de quo in canone 214 § 2;

7° in casu defectus publicationis actorum ad normam canonis 221 § 1.

§ 2. Querela nullitatis in casibus de quibus in § 1 proponi potest intra tres menses a notitia publicationis sententiae.

Can. 245

Si pars sententiae nullitatem contendat ex denegato iure defensionis, querela intra mensem a die publicationis sententiae coram iudice qui sententiam tulit proponi potest.

Can. 246 (SN 423, 419)

De querela nullitatis videt ipse iudex qui sententiam tulit; quod si pars vereatur ne iudex qui sententiam, querela nullitatis impugnatam, tulit, praeoccupatum animum habeat ideoque eum suspectum existimet, exigere potest ut alius iudex, in eius locum subrogetur ad normam canonis 51.

Can. 247 (SN 422)

Querela nullitatis proponi potest una cum appellatione intra terminum ad appellationem statutum.

Can. 248 (SN 424)

§ 1. Querelam nullitatis interponere possunt nedum partes, quae se gravatas putant, sed etiam promotor iustitiae aut defensor vinculi, quoties ipsis ius est interveniendi.

§ 2. Ipse iudex potest ex officio sententiam nullam a se latam retractare vel emendare intra terminos ad agendum in canonibus 243 § 2 et 244 § 2 statutos, nisi interea appellatio una cum querela nullitatis interposita fuerit, aut nullitas sanata sit per decursum termini.

Can. 249

Causae de querela nullitatis secundum normas canonum 286-302 statutas tractare possunt.

2) De appellatione

Can. 250 (SN 403)

Pars quae aliqua sententia se gravatam putat, itemque promotor iustitiae et defensor vinculi in causis in quibus eorum praesentia requiritur, ius habent a sententia appellandi ad iudicem superiorem, salvo praescripto canonis sequentis.

Can. 251 (SN 404)

Non est locus appellationi:

- 1° a sententia ipsius Summi Pontificis;
- 2° a sententia Signaturae Apostolicae;
- 3° a sententia S. Romanae Rotae lata *videntibus omnibus*;
- 4° a sententia vitio nullitatis infecta nisi cumuletur cum querela nullitatis ad normam canonis 247;
- 5° a sententia quae in rem iudicatam transiit;
- 6° a iudicis decreto vel a sententia interlocutoria, nisi cumuletur cum appellatione a sententia definitiva, excepto casu in quo decretum vel sententia interlocutoria finem imponunt iudicio ipsi vel alicui iudicii gradui;
- 7° a decreto vel sententia in re de qua ius cavet ut expeditissime definienda sit;
- 8° si quis, post sententiam intimatam, in scriptis expresse professus est se appellationi renuntiare.

Can. 252 (SN 405, 407, 412)

§ 1. Appellatio interponi debet coram iudice a quo sententia prolata sit, intra peremptorium terminum quindecim dierum utilium a notificatione publicatae sententiae.

§ 2. Si ore fiat, notarius eam scripto coram ipso appellante redigat.

Can. 253 (SN 406)

A delegato non datur appellatio ad delegantem sed ad eius immediatum Superiorem, nisi delegatus sit ipsa Sedes Apostolica.

Can. 254

Si quaestio oriatur de iure appellandi, de ea videat expeditissime tribunal appellationis iuxta normas processus summarii.

Can. 255 (SN 409)

Appellatio prosequenda est coram iudice ad quem dirigitur intra mensem ab eius interpositione, nisi iudex a quo facta est appellatio longius tempus ad eam prosequendam parti praestituerit.

Can. 256 (SN 410)

§ 1. Ad prosequendam appellationem requiritur et sufficit ut pars ministerium invocet iudicis appellationis ad impugnatae sententiae emendationem, adiuncto exemplari huius sententiae, attestazione de facta appellatione apud iudicem inferiorem necnon indicatis appellationis rationibus.

§ 2. Quod si pars exemplar impugnatae sententiae intra utile tempus a tribunali a quo appellationem interposuit obtinere nequeat, interim termini non decurrunt et impedimentum significandum est iudici appellationis, qui tribunal a quo appellatum est praecepto obstringat officio suo quamprimum satisfaciendi.

§ 3. Interea tribunal a quo appellatum est debet acta ad normam canonis 71 iudici appellationis transmittere.

Can. 257 (SN 412)

Inutiliter elapsis fatalibus appellatoriis sive coram iudice a quo appellatio interposita est, sive coram iudice ad quem appellatum est, deserta censetur appellatio.

Can. 258 (SN 411)

§ 1. Si, appellatione nondum interposita, intra terminum ad appellandum utilem pars moriatur, aut statum mutet, aut cesset ab officio cuius ratione agit, sententia debet iis quorum interest denuntiari; iis concessi intelliguntur termini a iure statuti ad appellandum, a die receptae denuntiationis computandi.

§ 2. Si casus, de quibus in § 1, evenerint postquam appellatum sit, appellatio interposita iisdem denuntietur, et servetur praescriptum canonis 142.

Can. 259

§ 1. Appellans potest appellationi renunciare cum effectibus, de quibus in canone 149.

§ 2. Si appellatio proposita sit a vinculi defensore vel a promotore iustitiae, renunciatio fieri potest, nisi lex aliter caveat, a vinculi defensore vel promotore iustitiae tribunalis appellationis.

Can. 260 (SN 413-414)

§ 1. Appellatio facta ab actore prodest etiam convento, et vicissim.

§ 2. Si plures sunt conventi vel actores et ab uno vel contra unum tantum ex ipsis sententia impugnetur, impugnatio censetur ab omnibus et contra omnes facta, quoties res petita sit individua aut obligatio solidalis.

§ 3. Si interponatur ab una parte super aliquo sententiae capite, pars adversa, etsi fatalia appellationis fuerint transacta, potest super aliis capitibus incidenter appellare intra terminum peremptorium quindecim dierum a die quo ipsi appellatio principalis notificata est.

§ 4. Nisi aliud constet, appellatio praesumitur facta contra omnia sententiae capita.

Can. 261 (SN 415)

Appellatio executionem sententiae suspendit.

Can. 262 (SN 417)

§ 1. 1° Salvo canone 317, in gradu appellationis non potest admitti novum petitum, ne ad modum quidem utilis cumulationis; ideoque litis contestatio in eo tantum versari potest ut prior sententia vel confirmetur, vel reformetur sive ex toto sive ex parte;

2° novum habetur petitum quoties partes vel res petita vel causa petendi mutatur, non autem si petitio versatur circa petiti, de quo disceptatum est in prima instantia, accessoria.

§ 2. Sed novis exhibitis documentis et novis probationibus poterit causa instrui, servatis regulis traditis in canone 223.

Can. 263

In gradu appellationis eodem modo, quo in prima instantia, congrua congruis referendo, procedendum est; sed, nisi forte complendae sint probationes, statim post litem contestatam ad causae discussionem deveniatur et ad sententiam.

ART. X - *De re iudicata et de impugnationibus contra ipsam*

1) De re iudicata

Can. 264 (SN 429)

Firmo praescripto canonis 266, res iudicata habetur:

1° si duplex intercesserit inter easdem partes sententia conformis de eodem petito et ex eadem causa petendi;

2° si appellatio adversus sententiam non fuerit intra tempus utile proposita;

3° si, in gradu appellationis, instantia perempta sit vel eidem renuntiatum fuit;

4° si lata sit sententia definitiva, a qua non datur appellatio.

Can. 265 (SN 430-431)

§ 1. Res iudicata ita firmitate iuris gaudet ut impugnari possit tantummodo indirecte.

§ 2. Facit ius inter partes et dat actionem iudicati atque exceptionem rei iudicatae, quam iudex ex officio quoque declarare potest ad impediendam novam eiusdem causae introductionem.

Can. 266 (SN 430)

Numquam transeunt in rem iudicatam causae de statu personarum haud exceptis causis de coniugum separatione.

Can 267 (SN 430)

§ 1. Si duplex sententia conformis in causa de statu personarum prolata sit, potest quovis tempore ad tribunal appellationis provocari novis argumentis quae facta nova et contrariam decisionem exigentia indubitanter probent, intra peremptorium terminum triginta dierum a proposita impu-

gnatione, allatis, et servatis de cetero quae de appellatione canones statuunt. Tribunal autem appellationis intra mensem ab exhibitis novis argumentis debet, servatis normis de processu summario, decreto statuere utrum nova causae propositio admitti debeat necne, omni recurso remoto.

§ 2. De provocatione ad superius tribunal ad novam causae propositionem obtinendam servanda sunt praescripta canonum 258 § 2, 259, 260 § 1 et 2, 263 de appellatione. Provocatio autem executionem sententiae non suspendit nisi lex aliter caveat.

2) De restitutione in integrum

Can. 268 (SN 432)

§ 1. Adversus sententiam quae transierit in rem iudicatam, dummodo de eius iniustitia manifesto constet, datur restitutio in integrum.

§ 2. De iniustitia autem manifesto constare non censetur, nisi:

1° sententia ita probationibus innitatur, quae postea falsae deprehensae sint, ut sine illis probationibus pars sententiae dispositiva non sustineatur;

2° postea detecta fuerint documenta, quae facta nova et contrariam decisionem exigentia indubitanter probent;

3° sententia ex dolo partis prolata fuerit in damnum alterius;

4° legis non mere processualis praescriptum evidenter neglectum fuerit;

5° sententia adversetur praecedenti decisioni quae in rem iudicatam transierit.

Can. 269 (SN 433)

§ 1. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in canone praecedenti § 2 nn. 1, 2, 3 petenda est a tribunali quod sententiam tulit, intra tres menses, a die cognitionis eorundem motivorum computandos.

§ 2. Restitutio in integrum propter motiva, de quibus in canone praecedenti § 2 nn. 4 et 5 petenda est a tribunali appellationis, intra tres menses a notitia publicationis sententiae, servatis de cetero quae canones de appellatione statuunt; quod si in casu de quo in canone praecedenti § 2, n. 5, notitia praecedentis decisionis serius habeatur, terminus ab hac notitia decurrit.

§ 3. Pro minoribus termini in §§ 1 et 2 statuti decurrere incipiunt ab adepta maiore aetate.

Can. 270 (SN 434)

§ 1. Petitio restitutionis in integrum sententiae executionem nondum inceptam suspendit.

§ 2. Si tamen suspicio sit ex probabilibus indiciis petitionem factam esse ad moras executioni nectendas, iudex decernere potest ut sententia executioni demandetur, assignata tamen restitutionem petenti idonea cautione ut, si restituatur in integrum, indemnitas fiat.

Can. 271 (SN 433)

§ 1. Restitutio in integrum ne concedatur nisi auditis partibus.

§ 2. Concessa restitutione in integrum idem tribunal pronuntiare debet de merito causae.

3) De oppositione tertii

Can. 272 (SN 425)

Qui ex sententia definitiva inter alios lata, quae executioni mandari possit, suorum iurium laesionem verentur, sententiam ipsam ante eius executionem impugnare possunt.

Can. 273 (SN 426-427)

§ 1. Oppositio fieri potest vel postulando revisionem sententiae a tribunali quod eam tulit, vel provocando ad tribunal appellationis.

§ 2. Si petitio admissa fuerit, et oppositor agat in gradu appellationis, tenetur legibus pro appellatione statutis; si coram tribunali quod sententiam tulit, servandae sunt regulae datae pro causis incidentibus iudicialiter definiendis.

Can. 274 (SN 426)

§ 1. Oppositor in quolibet casu probare debet ius suum revera esse laesum aut laesum iri.

§ 2. Laesio autem oriri debet ex ipsa sententia, quatenus aut ipsa sit causa laesionis, aut, si executioni mandetur, oppositorem gravi praeiudicio sit affectura.

Can. 275 (SN 428)

Si oppositor ius suum probaverit, sententia antea lata reformanda est a tribunali secundum oppositoris petitionem.

ART. XI - *De gratuito patrocinio et de expensis iudicialibus*

Can. 276 (SN 441)

Pauperes, qui omnino impares sint expensis iudicialibus sustinendis, ius habent ad gratuitum patrocinium; si ex parte tantum, ad expensarum deminutionem.

Can. 277 (SN 435-444)

Statuta de quibus in canone 15 debent normas dare:

1° de partibus damnandis ad expensas iudiciales aliis partibus vel tribunali restituendas;

2° de procuratorum, advocatorum, peritorum et interpretum honorariis;

3° de gratuito patrocinio et exemptione ab omnibus expensis, pauperibus concedenda qui impares omnino sint expensis iudicialibus sustinendis; deque expensarum deminutione, iis concedenda qui ex parte tantum impares sint;

4° de damnorum refectione, quae debetur ab eo qui, non solum in iudicio succubuit, sed temere litigavit.

5° de pecuniae deposito vel cautione praestanda circa expensas solvendas et damna reficienda.

Can. 278 (SN 440)

§ 1. A pronuntiatione circa expensas non datur distincta appellatio; sed pars quae se gravatam putat, recursum intra decem dies interponere potest coram eodem iudice; qui de hac re cognoscere denuo poterit, et taxationem emendare ac moderari.

§ 2. Appellatio a sententia circa causam principalem secumfert appellationem a pronuntiatione circa expensas.

ART. XII - *De executione sententiae*

Can. 279 (SN 445)

§ 1. Sententia quae transiit in rem iudicatam, executioni mandari potest.

§ 2. Iudex qui sententiam tulit, et, si appellatio proposita sit, etiam iudex appellationis, sententiae, quae nondum transierit in rem iudicatam, provisoriam executionem iubere potest ex officio vel ad instantiam partis,

idoneis, si casus ferat, praestitis cautionibus, si agatur de provisionibus seu praestationibus ad necessariam sustentationem ordinatis vel alia iusta causa urgeat.

§ 3. Si tamen sententia, de qua in § 2, impugnatur, iudex qui de impugnatione cognoscere debet, si videt hanc probabiliter fundatam esse et irreparabile damnum ex executione oriri posse, potest vel executionem ipsam suspendere vel eam cautioni subicere, salvo praescripto canonis 270.

Can. 280 (SN 446)

Non antea executioni locus esse poterit, quam exsecutorium iudicis decretum habeatur, quo edicatur sententiam ipsam executioni mandari debere; quod decretum pro diversa causarum natura vel in ipso sententiae tenore includatur vel separatim edatur.

Can. 281 (SN 447)

Si sententiae executio praeviam rationum redditionem exigit, quaestio incidens habetur, ab illo ipso iudice decidenda, qui tulit sententiam executioni mandandam.

Can. 282 (SN 448)

§ 1. Nisi lex particularis aliud statuatur, sententiam executioni mandare debet per se vel per alium Hierarcha loci in quo sententia primi gradus lata est.

§ 2. Quod si hic renuat vel negligat, parte cuius interest instante vel etiam ex officio, executio spectat ad tribunal appellationis.

§ 3. Inter monachos ceterosque sodales Institutorum vitae consecratae executio sententiae spectat ad Superiorem, qui definitivam sententiam tulit aut iudicem delegavit.

Can. 283 (SN 449)

§ 1. Exsecutor, nisi quid eius arbitrio in ipso sententiae tenore fuerit permissum, debet sententiam ipsam, secundum obvium verborum sensum, executioni mandare.

§ 2. Licet ei videre de exceptionibus circa modum et vim executionis, non autem de merito causae; quod si habeat aliunde compertum sententiam esse nullam vel manifeste iniustam ad normam canonum 243, 244 et 268, abstinere ab executione, et rem ad tribunal a quo lata est sententia remittat partibus certioribus factis.

Can. 284 (SN 450)

§ 1. Quoties adiudicata actori res aliqua est, haec actori tradenda est statim ac res iudicata habetur.

§ 2. 1° Cum reus damnatus est ad rem mobilem praestandam, vel ad solvendam pecuniam, vel ad aliud dandum aut faciendum, quattuor menses conceduntur pro implenda obligatione, nisi agatur de provisionibus ad sustentationem necessariis;

2° Iudex aut exsecutor terminum vel reducere vel prorogare possunt, ita tamen ut neque infra duos menses coarctetur neque sex menses excedat.

Can. 285 (SN 451)

In executione peragenda exsecutor caveat ut quam minimum damnato noceatur, eaque de causa incipiat executionem a distrahendis rebus quae minus ei necessariae sunt, salvis semper quae eius victui vel industriae deserviunt; et si agatur de clerico, salvis iis quae ad honestam sui sustentationem sunt necessaria, firma tamen eiusdem obligatione creditoribus quamprimum satisfaciendi.

Caput II

DE IUDICIO CONTENTIOSO SUMMARIO

Can. 286

Processu contentioso summario, de quo in hac sectione, tractari debent omnes causae, quae non reservantur vel committuntur tribunali collegiali ad normam canonis 22.

Can. 287

Processus contentiosus summarius fit coram unico iudice.

Can. 288 (SN 456)

§ 1. Iudicialis petitio, firmo canone 128, referre debet:

1° facta quibus actoris petitiones innituntur, breviter, integre et clare exposita;

2° probationes quibus actor vult facta demonstrare; testium nomine, cognomine, condicione, ac commorationis loco indicatis;

3° pretium rei petita quatenus ab eo pendeat iudicis competentia, una cum iis quae necessaria sint ad rei pretium constabiliendum;

4º conclusiones actoris.

§ 2. Iudicialis petitio proponi etiam potest ore iudici unico, quo in casu, notarius eam scriptis consignet.

Can. 289 (SN 457)

§ 1. Si conamen conciliationis ad normam canonis 45 § 2 inutile cesserit, iudex, si aestimet libellum aliquo fundamento niti, intra tres dies, decreto ad calcem ipsius libelli apposito, praecipiat notificari exemplar petitionis parti conventae, facta huic facultate mittendi, intra quindecim dies, ad cancellariam tribunalis scriptam responsionem.

§ 2. Haec notificatio effectus habet citationis iudicialis de quibus in canone 136.

§ 3. In casu reiectionis libelli servandus est canon 129 § § 2-4.

Can. 290 (SN 458)

Si exceptiones partis conventae id exigant, iudex parti actrici praefigat terminum ad respondendum, ita ut ex allatis utrisque elementis ipse controversiae obiectum perspectum habeat.

Can. 291 (SN 459)

Elapsis terminis, de quibus in canonibus 288 et 289 iudex, perspectis actis, formulam dubii determinet; dein ad audientiam, non ultra triginta dies celebrandam, omnes citet qui in ea interesse debent, testes quoque, addita pro partibus dubii formula.

Can. 292 (SN 455)

Partibus non licet plures quam quattuor testes adducere.

Can. 293 (SN 460)

In citatione partes certiores fiant se posse, tres saltem ante audientiam dies, aliquod breve scriptum tribunali exhibere ad sua asserta comprobanda.

Can. 294

In audientia primum tractentur quaestiones de quibus in canonibus 95-98.

Can. 295 (SN 461)

§ 1. Probationes colliguntur in audientia, firmo praescripto canonis 16.

§ 2. Pars eiusque advocatus assistere possunt excussioni et ceterarum partium et testium.

Can. 296

§ 1. In audientia responsiones partium, testium, peritorum, petitiones et exceptiones advocatorum, redigendae sunt scripto a notario, sed summam et in iis tantummodo quae pertinent ad substantiam rei controversae, et a deponentibus subsignandae.

§ 2. Si admittitur usus strumentorum quibus voces mechanice inscribuntur servandus est canon 42 § 3.

Can. 297

Probationes, quae non sint in petitione vel responsione allatae aut petitaе, potest iudex admittere tantum ad normam canonis 53, postquam autem vel unus testis auditus est, iudex potest tantummodo ad normam canonis 223 probationes decernere.

Can. 298 (SN 464)

Si in audientia probationes omnes colligi non potuerint, altera statuitur audientia.

Can. 299 (SN 462)

Probationibus collectis, proceditur in eadem audientia ad discussionem oralem.

Can. 300 (SN 466, 467)

§ 1. Nisi ex discussione quid supplendum in causae instructione comperiatur, vel aliud exsistat quod impediat sententiam rite proferre, causa in fine audientiae decidatur, et dispositiva sententiae pars statim coram partibus praesentibus legatur.

§ 2. Potest autem tribunal propter rei difficultatem vel aliam iustam causam usque ad quintum utilem diem decisionem differre.

§ 3. Integer sententiae textus, motivis expressis, quamprimum, nec ordinarie ultra quindecim dies, partibus notificetur.

Can. 301

Si tribunal appellationis perspiciat in inferiori iudicii gradu summarium processum esse adhibitum extra casus a iure admissos, nullitatem sententiae declaret et causam remittat tribunali quod sententiam tulit.

Can. 302

In ceteris quae ad rationem procedendi attinent servantur praescripta canonum de iudicio contentioso ordinario.

TITULUS XXV

DE ALIQUIBUS SPECIALIBUS IUDICIIS

Caput I

DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

ART. I - *De causis ad matrimonii nullitatem declarandam*

1) De foro competenti

Can. 303 (SN 468; CM 1¹)

Quaelibet causa matrimonialis baptizati iure proprio ad Ecclesiam spectat.

Can. 304 (SN 462; CM 2)

Firmis ubi vigeant statutis personalibus, causae de effectibus matrimonii mere civilibus si principaliter agantur pertinent ad civilem magistratum, sed si incidenter et accessorie possunt etiam a iudice ecclesiastico ex propria auctoritate cognosci ac definiri.

¹ CM stat pro Litt. Ap. « Cum matrimonialium causarum » diei 22 Februarii anni 1972.

Can. 305 (SN 472; CM 4)

In causis de matrimonii nullitate quae non sint Sedi Apostolicae reservatae competens est:

1° tribunal loci in quo matrimonium celebratum est;

2° tribunal loci in quo pars conventa domicilium vel quasi-domicilium habet;

3° tribunal loci in quo pars actrix domicilium habet, dummodo utraque pars in territorio eiusdem nationis degat et tribunal loci domicilii partis conventae, ipsa audita, consentiat;

4° tribunal loci in quo de facto colligendae sint pleraeque probationes, dummodo accedat consensus Vicarii iudicialis domicilii partis conventae, qui prius ipsam interroget num quid excipiendum habeat.

2) De iure impugnandi matrimonium

Can. 306 (SN 478)

Habiles sunt ad matrimonium impugnandum:

1° coniuges;

2° promotor iustitiae, in tuitionem publici boni, quando nullitas fundatur in facto de se publico, si matrimonium convalidari nequeat aut non expediat, quin opus sit iudicio Hierarchae de quo in canone 35 § 1.

Can. 307 (SN 479)

§ 1. Matrimonium quod utroque coniuge vivente, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis accusari non potest, nisi quaestio de validitate praeiudicialis habeatur ad aliam solvendam controversiam, sive in foro canonico sive civili.

§ 2. Si autem coniux moriatur pendente causa, serventur canones 142 et 258.

3) De officio iudicum et tribunalis ministrorum

Can. 308 (CM 5)

§ 1. Si in Tribunali primi et secundi gradus collegium trium iudicum clericorum efformari nequeat, Patriarcha, audita Synodo permanenti, potest permittere in praedictis gradibus constitutionem collegii ex duobus clericis et uno viro laico; extra territoria Ecclesiae patriarchalis eadem facultate

gaudet Metropolita auditis duobus, ordine praecedentiae, prioribus provinciae episcopis; in aliis casibus recurratur ad Sedem Apostolicam.

§ 2. In primo gradu, cum nec per aggregationem viri laici collegium efformari possit, singulis in casibus causae nullitatis matrimonii clerico tamquam iudici unico per easdem auctoritates et eodem modo ac in § 1 demandari possunt. Qui iudex ubi fieri possit, assessorem et auditorem in iudicio sibi asciscat.

Can. 309 (SN 473)

Iudex antequam causam acceptet et quotiescumque spem boni exitus perspiciat, pastoralia media adhibeat, ut coniuges, si fieri potest, ad matrimonium forte convalidandum et ad vitae communionem restaurandam inducantur.

Can. 310

§ 1. Libello acceptato, praeses vel ponens, procedat ad normam canonis 289. Libelli notificatio effectus habet citationis iudicialis de quibus in canone 136.

§ 2. Transacto termino quindecim dierum a notificatione, praeses vel ponens, nisi alterutra pars sessionem ad litem contestandam petierit, intra decem dies formulam dubii vel dubiorum decreto suo statuatur ex officio et partibus notificet.

§ 2. Formula dubii non tantum quaerat an constet de nullitate matrimonii in casu, sed determinare debet quo capite vel quibus capitibus nuptiarum validitas impugnetur.

§ 4. Post decem dies a notificatione decreti, si partes nihil opposuerint, praeses vel ponens novo decreto causae instructionem disponit.

§ 5. Ante conclusionem in causa, iudex potest nova capita nullitatis, auditis partibus, adiungere, ipsis notificanda.

2) De probationibus

Can. 311 (SN 476, 477 et 293)

§ 1. Defensoris vinculi, partium patroni et, si in iudicio sit, etiam promotoris iustitiae est:

1° examini partium, testium et peritorum adesse, salvo praescripto canonis 67 § 2;

2° acta iudicialia, etsi nondum publicata, invisere et documenta a partibus producta recognoscere.

§ 2. Examini testium partes assistere nequeunt, nisi praeses eas admittendas censuerit; parti vero quae patronum non habet iudex concedere potest ut acta et documenta de quibus in § 1 n. 2 invisat.

Can. 312

Nisi probationes aliunde plenae habeantur, iudex, ad partium depositiones ad normam canonis 160 aestimandas, testes de ipsarum partium credibilitate, si fieri potest, adhibeat, praeter alia indicia et adminicula.

Can. 313 (SN 483)

In causis de impotentia vel de consensus defectu propter mentis morbum vel perturbationem psychicam iudex unius periti vel plurium opera utatur; in ceteris causis servetur praescriptum canonis 195.

5) De sententia et appellatione

Can. 314 (SN 471)

Quoties in instructione causae nullitatis matrimonii dubium valde probabile emerit de non secuta matrimonii consummatione, tribunal potest, suspensa de consensu partium causa nullitatis, instructionem complere pro dispensatione super matrimonio non consummato, ac tandem acta transmittere ad Sedem Apostolicam una cum petitione dispensationis ab alterutro vel utroque coniuge et cum voto tribunalis necnon Hierarchae eiusdem tribunalis.

Can. 315 (SN 493; CM 8)

§ 1. Sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaraverit, una cum appellationibus, si quae sint, et ceteris iudicii actis, intra viginti dies a sententiae publicatione ad tribunal appellationis ex officio transmittatur.

§ 2. Si sententia pro matrimonii nullitate prolata sit in primo iudicii gradu, tribunal appellationis, perpensis omnibus actis causae necnon animadversionibus defensoris vinculi et, si quae sint, etiam partium, suo decreto vel decisionem continenter confirmet vel ad ordinarium examen novi gradus causam admittit.

Can. 316 (SN 495)

§ 1. Postquam sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, in gradu appellationis confirmata est vel decreto vel altera sententia, ii, quorum matrimonium declaratum est nullum, possunt novas nuptias inire statim ac decretum vel altera sententia ipsis notificata est.

§ 2. Praescripta canonis 267 servanda sunt, etiam si sententia, quae matrimonii nullitatem declaraverit, non altera sententia sed decreto confirmata sit.

Can. 317 (SN 494)

Si in gradu appellationis novum nullitatis matrimonii caput afferatur, tribunal potest, illud admittere et de eo iudicare tanquam in prima instantia; si vero pars contradicat quaestio incidens habetur.

Can. 318

Statim ac sententia facta est executiva, Vicarius iudicialis debet eandem notificare Hierarchae loci in quo matrimonium celebratum est. Is autem curare tenetur ut quantocius de decreta nullitate matrimonii et de vetitis forte statutis in libris tum matrimoniorum tum baptizatorum mentio fiat.

6) De processu matrimoniali summario

Can. 319 (SN 498; CM 10, 11)

Recepta petitione ad normam canonis 310 proposita, Vicarius iudicialis vel iudex ab ipso designatus potest, praetermissis sollemnitatibus ordinarii processus sed citatis partibus et cum interventu defensoris vinculi, matrimonii nullitatem sententia declarare, cum ex documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni sit obnoxium, certo constet:

1° de existentia impedimenti dirimentis vel de carentia formae, dummodo pari certitudine pateat dispensationem datam non esse;

2° de defectu validi mandati procuratoris.

Can. 320 (SN 499; CM 12)

§ 1. Adversus hanc declarationem defensor vinculi, si prudenter existimaverit vel vitia de quibus in canone 319 vel dispensationis defectum non esse certa, appellare debet ad iudicem secundae instantiae, ad quem acta sunt transmittenda quique scripto monendus est agi de casu speciali.

§ 2. Integrum manet parti, quae se gravatam putet, ius appellandi.

Can. 321 (SN 500; CM 13)

Iudex alterius instantiae, cum interventu defensoris vinculi et auditis partibus, decernet eodem modo de quo in canone 319 utrum sententia sit confirmanda, an potius procedendum in causa sit ad ordinarium tramitem iuris; quo in casu eam remittit ad tribunal primae instantiae.

Can. 322

In sententia partes moneantur de obligationibus moralibus vel etiam civilibus quibus forte teneantur, altera erga alteram et erga prolem, ad sustentationem et educationem praestandam.

7) Normae generales

Can. 323

Causae ad matrimonii nullitatem declarandam nequeunt processu summario de quo in canonibus 286-302 tractari.

Can. 324

In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario servatis specialibus normis circa causas de statu personarum et causas ad bonum publicum spectantes.

Can. 325

In processu ad dispensationem super matrimonio non consummato obtinendam atque in processu ad matrimonii solutionem in favorem fidei de qua in canone 191 «De cultu divino...» servantur normae speciales a Sede Apostolica latae.

ART. II - *De causis separationis coniugum*

Can. 326

§ 1. Separatio personalis coniugum baptizatorum, nisi aliter pro locis particularibus legitime provisum sit, decerni potest:

a) Hierarchae loci decreto vel

b) ecclesiastici iudicis sententia ad normam canonum qui sequuntur.

§ 2. Ubi vero decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur, vel si sententia civilis praevidetur non contraria iuri divino, Hierarcha commorationis partis actricis poterit, singulis in casibus, perpensis peculiaribus adiunctis, licentiam concedere adeundi forum civile.

§ 3. Si causa versetur etiam circa effectus mere civiles matrimonii, satagat iudex ut, servato praescripto canonis 304, causa inde ab initio ad forum civile deferatur.

Can. 327

Quod attinet ad tribunalis competentiam servantur praescripta canonis 305 § 1 nn. 2 et 3.

Can. 328

Iudex, antequam causam acceptet ad normam canonis 309 agat ut coniuges concilientur et ad vitae communionem restaurandam inducantur.

Can. 329

In causis de coniugum separatione semper interesse debet promotor iustitiae ad normam canonis 37.

Can. 330

In ceteris quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt canones de processu summario.

ART. III - *De processu praesumptae mortis coniugis*

Can. 331

§ 1. Quoties coniugis mors authentico documento ecclesiastico vel civili comprobari nequeat, alter coniux a vinculo matrimonii solutus non habeatur nisi post declarationem de morte praesumpta ab Hierarcha loci prolatam.

§ 2. Declarationem de qua in § 1 Hierarcha loci tantummodo proferre valet cum, peractis opportunis investigationibus, ex testium depositionibus, ex fama aut indiciis moralem certitudinem de coniugis obitu obtinuerit. Sola coniugis absentia, quamvis diuturna, non sufficit.

§ 3. In casibus incertis et implexis Hierarcha intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis consulat Generalem Moderatorem iustitiae de quo in canone 8 § 2, extra vero haec territoria Sedem Apostolicam.

§ 4. Hac in procedura requiritur interventus promotoris iustitiae, non vero vinculi defensoris.

Caput II

DE CAUSIS CONTRA SACRAM ORDINATIONEM

Can. 332 (SN 501)

Causae quibus impugnantur obligationes ex sacro ordine presbyteratus contractae vel ipsa sacrae ordinationis, etiam diaconalis, validitas, tractantur disciplinari modo iuxta normas a Sede Apostolica statutas.

Can. 333 (SN 502)

§ 1. Validitatem sacrae ordinationis accusare valet clericus aequae ac Hierarcha cui clericus subsit vel in cuius eparchia ordinatus sit.

§ 2. Solus clericus, qui existimet se ex sacra ordinatione obligationes ordini adnexas non contraxisse, potest declarationem nullitatis onerum petere.

Caput III

DE PROCEDURA IN PAROCHIS AMOVENDIS VEL TRANSFERENDIS

ART. I - *De modo procedendi in amotione parochorum*

Can. 334

Cum alicuius parochi ministerium ob aliquam causam, etiam citra gravem ipsius culpam, noxium aut saltem inefficax evadat, potest ipse ab Episcopo eparchiali, non autem a Syncello sine mandato speciali, a paroecia amoveri.

Can. 335

Causae, ob quas parochus a sua paroecia legitime amoveri potest, hae praesertim sunt:

1° modus agendi qui ecclesiali communioni grave detrimentum vel perturbationem afferat;

2° imperitia aut permanens mentis vel corporis infirmitas, quae parochum suis muneribus utiliter obeundis imparem reddit;

3° bonae existimationis amissio penes bonos et graves paroecianos vel aversio in parochum, quae praevideantur non brevi cessatura;

4° gravis neglectus vel violatio officiorum paroecialium quae post monitionem persistat;

5° mala rerum temporalium administratio cum gravi Ecclesiae damno, quoties huic malo aliud remedium afferri nequeat.

Can. 336

§ 1. Si ex instructione ad normam saltem canonis NN « de actibus administrativis »¹ constiterit adesse causam de qua in canone 335, Episcopus, rem cum duobus sacerdotibus, praesertim sodalibus Consilii presbyteralis, discutiatur; quod si exinde censeatur amotionem esse deveniendum, causa et argumentis ad validitatem indicatis, parochus suadeatur ut intra tempus quindecim dierum renuntiet.

§ 2. Ad amovendos parochos qui sunt sodales Instituti vitae consecratae servetur praescriptum canonis NN « De parochis »².

Can. 337

Renuntiatio a parochus fieri potest non solum pure et simpliciter, sed etiam sub conditione, dummodo haec ab Episcopo legitime acceptari possit et reapse acceptetur.

Can. 338

§ 1. Si parochus intra praestitutos dies non responderit, Episcopus iterum invitationem prorogando tempus utile ad respondendum.

§ 2. Si Episcopo constiterit parochum alteram invitationem recepisse nec autem respondisse quamvis nullo impedimento detentum, aut si parochus renuntiationem nullis adductis motivis recuset, Episcopus decretum amotionis ferat.

¹ Intelligitur can. 154 schematis « De normis generalibus... ».

² Remissio fit ad can. 19 § 2 qui in *Nuntia* 9, pag. 78 invenitur.

Can. 339

Si vero parochus obsistat renuntiationi motiva allegans quae insufficientia Episcopo videantur, hic ut valide agat:

1° invitet illum ut, inspectis actis, suas impugnationes in relatione scripta colligat, immo probationes in contrarium, si quas habeat, afferat intra tempus ab ipso Episcopo praestitutum;

2° deinde, completa, si opus sit, instructione, una cum iisdem examinatis, nisi, his impeditis, alii sint designandi, rem perpendat;

3° tandem statuatur utrum parochus sit amovendus necne, et mox decretum de re ferat.

Can. 340

Amoto parochus Episcopus consulat sive assignatione alius officii, si ad hoc idoneus sit, sive pensione, prout casus ferat et adiuncta permittant.

Can. 341

§ 1. Parochus amotus debet a parochi munere exercendo abstinere, quamprimum liberam relinquere paroecialem domum, et omnia quae ad paroeciam pertinent ei tradere, cui Episcopus paroeciam commiserit.

§ 2. Si autem de infirmo agatur, qui e paroeciali domo sine incommodo nequit alio transferri, Episcopus eidem relinquat eius usum etiam exclusivum, eadem necessitate durante.

§ 3. Pendente recursu adversus amotionis decretum, Episcopus non potest novum parochum nominare, sed per administratorem paroecialem interim provideat.

ART. II - *De modo procedendi in translatione parochorum*

Can. 342

§ 1. Si bonum animarum vel Ecclesiae necessitas seu utilitas postulet ut parochus a sua, quam utiliter regit, ad aliam paroeciam aut ad aliud officium transferatur, Episcopus eparchialis, non autem (Protosyncellus vel) Syncellus sine mandato speciali, eidem translationem scripto proponat ac suadeat ut eidem pro Dei atque animarum amore consentiat.

§ 2. Si parochus suasionibus Episcopi censeat obsequi non posse, rationes scripto exponat.

Can. 343

Episcopus si non obstantibus allatis causis, iudicet a proposito non esse recedendum, cum duobus sacerdotibus ad normam canonis 336 seligendis, rationes perpendat quae translationi faveant vel obstant; quod si exinde translationem peragendam censeat, eam scripto, causis indicatis, parrocho iterum proponat.

Can. 344

§ 1. His peractis, si adhuc et parochus renuat et Episcopus putet translationem esse faciendam, decretum translationis ferat, statuens paroeciam, elapso praefinito tempore, esse vacaturam.

§ 2. Hoc tempore inutiliter transacto, paroeciam vacantem declaret.

Can. 345

In casu translationis servetur canon 341 et etiam, congrua congruis referendo, canon 340.

TITULUS XXVI

DE PROCESSU IN SANCTIONIBUS POENALIBUS FERENDIS

Caput I

DE IUDICIO AD POENAS ECCLESIASTICAS IRROGANDAS

ART. I - *De praevia investigatione*

Can. 346 (SN 513-519)

§ 1. Quoties Hierarcha notitiam, saltem veri similem habeat de delicto, caute inquirat circa facta et circumstantias et circa imputabilitatem.

§ 2. Investigatio, quamvis ab ipso Hierarcha peragi possit, regulariter tamen committatur alicui ex iudicibus, nisi eidem Hierarchae ex peculiari ratione alii committenda videtur.

§ 3. Cavendum est ne ex hac investigatione, quae semper secreta esse debet, bonum cuiusquam nomen in discrimen vocetur.

§ 4. Qui investigationem agit, easdem habet, quas auditor in processu, potestates et obligationes; idemque nequit in eadem causa iudicem agere.

Can. 347 (SN 520-527)

§ 1. Firmo can. 3 schematis «de sanctionibus poenalibus», cum satis collecta videantur elementa decidat Hierarcha ad normam canonis 2 eiusdem schematis num processus ad poenam irrogandam promoveri possit, num id expediat, utrum processus iudicialis sit adhibendus an sit procedendum per decretum de quo in canonibus 367 et 368.

§ 2. Hierarcha decisionem de qua in § 1 revocet vel mutet, quoties ex novis elementis aliud sibi decernendum videatur, nisi actio poenalis iam praescripta sit.

§ 3. In decisionibus de quibus in §§ 1 et 2 Hierarcha audiat de delicto accusatum et promotorem iustitiae atque, si ipse prudenter censeat, duos iudices aliosve iuris peritos.

§ 4. Antequam ad normam § 1 decidat consideret Hierarcha num ad vitanda inutilia iudicia, expediat ut, partibus consentientibus, vel ipse vel investigator quaestionem de damnis ex bono et aequo dirimat.

Can. 348 (SN 511)

§ 1. Si delictum puniri non possit nisi praecesserit querela partis laesae, Hierarcha processum, ad normam canonis 347, promovere non potest, nisi parte laesa scripto petente.

§ 2. Revocata autem querela, actio criminalis extinguatur.

Can. 349

Investigationis acta et Hierarchae decreta, quibus investigatio initur vel clauditur, eaque omnia quae investigationem praecedunt, si necessaria non sint ad processum, in secreto curiae tabulario custodianur, servato praescripto canonis NN schematis «De constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium»¹.

¹ Remissio fit ad can. 446 Litt. Ap. «Cleri sanctitati», (cf. *Nuntia* 9, pag. 46, canon 72).

ART. II - De processus evolutione

Can. 350 (SN 529 et 559)

Salvis praescriptis canonum qui sequuntur, in iudicio poenali applicandi sunt, nisi rei natura obstet, canones de iudiciis in genere et de iudicio contentioso ordinario servatis specialibus normis de causis quae ad bonum publicum spectant.

Can. 351 (SN 528)

§ 1. Si Hierarcha decreverit processum poenalem iudiciale esse ineundum, acta investigationis promotori iustitiae tradat, qui accusationis libellum iudici exhibeat.

§ 2. Actio poenalis uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur.

§ 3. Coram tribunali superiore, sive in iudicio de admittendo libello sive in iudicio de impugnatione, actionem sustinet promotor iustitiae apud illud tribunal constitutus.

Can. 352 (SN 531)

Libellus a promotore iustitiae conficiendus indicare debet:

- 1° facta quibus constat delictum;
- 2° speciem delicti, allegatis canonibus qui eo pertinent;
- 3° probationes ex quibus constat de accusati parte in delicto;
- 4° facta quae constituunt circumstantias aggravantes vel minuentes delictum;
- 5° poenas (iuxta canones) infligendas;
- 6° *positiones* facti seu articulos super quibus interrogandi sunt tum accusatus iuxta interrogatoria libello adnectenda, tum testes iuxta interrogatoria tempore opportuno exhibenda;
- 7° formulas propositas ad dubia, ut dicitur, *concordanda*.

Can. 353 (SN 536)

Iudex accusatum citans debet eum invitare ad eligendum advocatum intra definitum tempus; quo inutiliter elapso, idem iudex ex officio advocatum accusato constituat, tandiu in munere mansurum quandiu accusatus sibi advocatum non constituerit.

Can. 354

§ 1. In quolibet iudicii gradu renuntiatio instantiae fieri potest a promotore iustitiae, mandante vel consentiente Hierarcha, ex cuius deliberatione processus promotus est.

§ 2. Renuntiatio, ut valeat, debet ab accusato acceptari, nisi ipse sit absens a iudicio.

Can. 355 (SN 537)

Ad scandala praevenienda, ad testium libertatem protegendam, ad iustitiae cursum tutandum, potest Hierarcha, audito promotore iustitiae et citato ipso accusato, in quolibet processus stadio accusatum a sacro ministerio vel ab aliquo officio vel munere ecclesiastico arcere, ei imponere vel interdicere commorationem in aliquo loco vel territorio, vel etiam publicam sacrae Synaxis participationem prohibere; quae omnia, causa cessante, sunt revocanda, eaque ipso iure finem habent, cessante processu criminali.

Can. 356 (SN 558 et 559)

§ 1. Tribunalis est aestimare quid valeat confessio accusati, utrum in casu vim habeat plenae vel saltem semiplenae probationis, utrum confessio dividi possit necne. Quare, etsi accusatus delictum suum confiteatur, causa minime finitur et tribunal ad ulteriora procedere debet.

§ 2. Accusato nullum iusiurandum deferri debet.

Can. 357 (SN 564)

Ex gravissima ratione iudex in publicandis actis decernere potest ut aliqua testimonia eo pacto advocatis communicentur ut nomina testium secreta sub iuramenti sanctitate servent ita ut ne accusato quidem patefaciant. Quo in casu partes invitentur ad manifestanda nomina eorum quos sibi infensos vel inimicos habeant et inimicitiae rationes.

Can. 358 (SN 570)

In causae discussione, sive scripto haec fiat sive ore, accusatus semper ius habeat ut vel ipse vel suus advocatus vel procurator postremus scribat vel loquatur.

Can. 359 (SN 571)

§ 1. Discussionem absoluta, tribunal sententiam proferat.

§ 2. Si ex discussione emergerit necessitas novarum probationum colligendarum, tribunal, dilata definitione causae, novas probationes ipsum colligat.

Can. 360

In quolibet (poenali) iudicii gradu et stadio, si evidenter constet delictum non esse ab accusato patratum, iudex debet id sententia declarare et accusatum absolvere, etiamsi simul constet actionem poenalem esse extinctam.

ART. III - *De actione ad damna reparanda*

Can. 361

§ 1. Pars laesa potest actionem contentiosam ad damna reparanda ex delicto sibi illata in ipso poenali iudicio exercere ad normam canonis 217.

§ 2. Interventus partis laesae, de quo in § 1, non amplius admittitur, si factus non sit in primo iudicii poenalis gradu; neque potest pars laesa oppositionem tertii adversus sententiam latam in iudicio poenali proponere.

§ 3. Appellatio in causa de damnis fit ad normam canonum 250-263, etiamsi appellatio in poenali iudicio fieri non possit; quodsi utraque appellatio, licet a diversis partibus proponatur, unicum fiat, salvo praescripto canonis 362, iudicium appellationis.

Can. 362

§ 1. Ad nimias poenalis iudicii moras vitandas potest iudex iudicium de damnis differre usque donec sententiam definitivam in iudicio poenali protulerit.

§ 2. Iudex, qui ita egerit, debet, post latam sententiam in poenali iudicio, de damnis cognoscere, etiamsi iudicium poenale propter propositam impugnationem adhuc pendeat, vel si accusatus absolutus sit propter causam quae non auferat obligationem reparandi damna.

Can. 363

Sententia lata in poenali iudicio, etiamsi in rem iudicatam transierit, nullo modo ius facit erga partem laesam, nisi haec intervenerit ad normam canonis 361.

ART. IV - *De impugnationibus*

Can. 364 (SN 573-575)

§ 1. Appellationem proponere potest reus, nisi de aliquo sententiae capite iam duplex habeatur sententia conformis:

1° si sententia poenalem sanctionem irrogaverit;

2° si sententia reum ideo tantum dimiserit, quia poena erat facultativa, vel quia iudex potestate usus est, de qua in canonibus 9 et 16 § 2 schematis « De sanctionibus poenalibus ».

§ 2. Promotor iustitiae appellare potest, quoties sententia nullam poenalem sanctionem in reum irrogaverit nisi duplex habeatur de ea re conformis sententia.

Can. 365

§ 1. Promotore iustitiae appellante et appellationem prosequente, iudex appellationis debet statim, audito promotore iustitiae sui tribunalis, videre num forte appellatio fundamento evidenter careat, ideoque in limine sit reicienda.

§ 2. Promotori iustitiae tribunalis appellationis firmum manet officium et ius de quo in canone 354.

Can. 366

Restitutio in integrum ab uno reo peti potest.

Caput II

DE IRROGATIONE POENARUM PER DECRETUM EXTRA IUDICIUM

Can. 367

§ 1. Ad validitatem decreti de quo in canone 2 schematis « De sanctionibus poenalibus » requiritur ut:

1° reus de accusatione certior fiat, data ei sufficienti facultate sese defendendi, nisi ipse, rite vocatus ad normam canonum 131-135, comparere neglexerit;

2° discussio oralis inter Hierarcham vel eius delegatum et reum habeatur, praesentibus iustitiae promotore et notario;

3° in ipso decreto exponatur quibus rationibus in facto et in iure punizio innititur.

§ 2. Poenae de quibus in canone 28 schematis « De sanctionibus poenalibus » sine processu de quo in § 1 imponi possunt, dummodo de earum ex parte rei acceptance, inquantum fieri potest, scripto constet.

Can. 368

§ 1. Recursus adversus decretum quo poena irrogatur intra decem dies utiles postquam intimatum est ad Superiorem Auctoritatem competentem interponi potest.

§ 2. Hic recursus vim decreti suspendit.

§ 3. Contra decisionem Superioris Auctoritatis non datur ulterior recursus.

TITULUS XXVII (=XXI¹)

DE RECURSIBUS ADVERSUS DECRETA ADMINISTRATIVA

Can. 369

Quae in canonibus huius sectionis de decretis statuuntur, item applicanda sunt ad omnes actus administrativos singulares qui in foro externo extra iudicium dantur et effectum iuridicum pariunt, iis exceptis qui ab ipso Romano Pontifice vel ab ipsa Synodo Oecumenica ferantur.

Caput I

DE RECURSU HIERARCHICO

Can. 370 (CS 145)

§ 1. Qui se decreto extra iudicium lato gravatum esse contendit, potest intra peremptorium terminum quindecim dierum a die intimationis decreti, ad Superiorem hierarchicum eius qui decretum tulit recurrere, servatis praescriptis quae de hac re ius commune vel particulare requirit.

§ 2. Quamvis recursus non suspendit ipso iure decreti executionem potest tamen Superior gravi de causa iubere ut executio suspendatur.

¹ In ordinatione systematica totius Codicis ut nunc proponitur, sectio haec, ut titulus XXI, immediate post titulum (XX) « De potestatis regiminis exercitio » ponitur. Ex connexione materiae, provisorie, in hoc schema incorporatur.

Can. 371

§ 1. Valde optandum est ut, quoties quis gravatum se decreto putet, non fiat inter ipsum et decreti auctorem contentio, sed inter eos de aequa solutione quaerenda tractetur, gravibus quoque hominibus ad mediationem vel studium forte adhibitis ita ut per voluntariam decreti emendationem vel per iustam compensationem vel per aliam idoneam viam controversia dirimatur.

§ 2. Superior antequam recursum recipiat partes hortetur de illis de quibus in § 1.

Can. 372

§ 1. Exceptis recursibus adversus decreta Protosyncelli, Syncelli vel eorum qui ex potestate delegata agunt, qui Hierarchae loci vel Deleganti, firmis canonibus NN¹ schematis « De constitutione hierarchica Ecclesiarum orientalium » et 253 (huius schematis), proponendi sunt, antequam quis recursum proponat, debet decreti revocationem vel emendationem scripto ab ipsius auctore petere intra peremptorium terminum decem dierum a die intimationis decreti computandum; qua petitione proposita, etiam suspensio executionis eo ipso petita intelligitur.

§ 2. Obligatio de qua in § 1 urget tantummodo in primo recurso adversus aliquod decretum, non vero quando agitur de subsequentibus decisionibus, etsi tacitis, circa eundem recursum, quae statim novo recurso impugnari possunt, exceptis tamen decisionibus Episcopi eparchialis.

§ 3. Si intra triginta dies ex quo petitio ad ipsum pervenerit, decreti auctor novum decretum intimet, quo vel prius emendet vel petitionem reiiciendam esse decernat, termini ad recurrendum de quibus in canone 370 § 1, decurrunt, ex novi decreti intimatione; sin autem, intra triginta dies nihil decernat, termini decurrunt ex tricesimo die.

Can. 373

§ 1. In iis materiis, in quibus recursus hierarchicus suspendit decreti executionem, idem efficit etiam petitio de qua in can. 372.

§ 2. In ceteris casibus, nisi intra decem dies, ex quo petitio de qua

¹ Remittitur ad canonem 434 § 1 Litt. Ap. « Cleri sanctitati », (cf. *Nuntia* 9, pag. 42, can. 61).

in canone 372 ad ipsum pervenerit, auctor ipse decreti executionem suspendendam decreverit, potest suspensio interim peti ab eius Superiore hierarchico, qui eam decernere potest gravibus tantum de causis et cauto semper ne quid salus animarum detrimenti capiat.

§ 3. Suspensa decreti executione ad normam § 2, si postea recursus proponatur, Superior qui de recursu videt, decernet utrum suspensio sit confirmanda an revocanda.

§ 4. Si nullus recursus, neque ad Superiorem hierarchicum neque ad tribunalis sectionem administrativam, intra statutum terminum adversus decretum proponatur, vel si recursus proponatur tantum ad petendam damnorum reparationem, suspensio executionis, ad normam § 1 vel § 2 interim effecta, eo ipso cessat.

Can. 374

Quae de terminis temporis in canone 155 schematis «De normis generalibus» statuuntur valent etiam in casu decreti quo recursus hierarchicus deceditur.

Can. 375

In recursibus ad Superiorem hierarchicum, praeter ea de quibus in canone 154 schematis «De normis generalibus», recurrens semper ius habet advocatum vel procuratorem adhibendi, vitatis inutilibus moris; immo vero patronus ex officio constituatur, si recurrens patrono careat et Superior necessarium censeat; semper tamen potest Superior iubere ut recurrens ipse compareat ut interrogetur.

Can. 376

Superior qui de recursu videt potest decretum non solum confirmare vel irritum declarare sed etiam rescindere et revocare, non vero emendare nisi lege particulari singularum Ecclesiarum etiam haec potestas Superiori explicite tribuatur.

Can. 377

Contra decretum quo recursus hierarchicus deceditur non datur ulterior recursus si decisio confirmat praeivium decretum; si vero illud irritum declarat, rescindit vel revocat, ulterior recursus admittitur non vero tertius, excepto recursu in devolutivo tantum ad Sedem Apostolicam.

Can. 378

Superior, coram quo pendet recursus hierarchicus, potest recursum ad sectionem administrativam competentis tribunalis remittere, si consentiant et decreti auctor et recurrens.

Can. 379

Si adversus idem decretum intra terminos iure statutos propositi sint recursus et ad Superiorem hierarchicum et ad sectionem administrativam tribunalis competentis, unius Superioris hierarchici est de omnibus recursibus iudicare; quod si recursus hierarchicus propter sola motiva de quibus in canonibus 385 et 386 propositus sit, de omnibus recursibus videbit tribunal administrativum.

Caput II

DE RECURSU AD SECTIONES ADMINISTRATIVAS TRIBUNALIUM

Can. 380

§ 1. In quolibet tribunali erigenda est sectio administrativa ad disceptandos et definiendos recursus de quibus in canonibus huius sectionis.

§ 2. Qui potest tribunal delegatum instituere, potest etiam, pro singulis recursibus, sectionem administrativam eiusdem erigere, etsi ipsum tribunal reapse non instituat.

Can. 381

§ 1. De recursibus adversus decreta lata ab auctoritatibus quae non veniunt nomine Hierarchae loci, videt sectio administrativa tribunalis primi gradus quod in auctorem decreti competens sit.

§ 2. Adversus sententiam primi gradus appellatio fit ad sectionem administrativam tribunalis immediate superioris.

Can. 382

§ 1. De recursibus adversus decreta Hierarcharum locorum, intra fines territorii Ecclesiae patriarchalis, videt iudex unicus ex Episcopis a Synodo Episcoporum ad triennium designatus.

§ 2. Adversus sententiam Episcopi de quo in § 1 appellatio fit ad tribunal trium Episcoporum de quo in canone 8, quod in casu collegialiter iudicat, ulteriore appellatione prorsus remota et firmo canone 8 § 4.

§ 3. De recursibus adversus decreta ceterorum Hierarcharum locorum, etsi Ecclesiae patriarchali aggregati sint, videt Sedes Apostolica.

Can. 383

§ 1. Adversus decreta administrativa Patriarcharum, etiamsi agatur de decretis quae eparchiam Patriarchae propriam respiciunt, recursus fit ad peculiare tribunal Episcoporum pro unaquaque Ecclesia a iure particulari institutum nisi quaestio ad Romanum Pontificem deferatur.

§ 2. A decretis administrativis Synodi Episcoporum recursus fit ad Romanum Pontificem.

Can. 384

Iudex, antequam recursum ad examen admittat, recurrentem et decreti auctorem hortetur, quandocumque spem boni exitus perspicit, ad quaerendas solutiones de quibus in canone 371 et certior fiat de observantia illarum normarum quae ante recursum hierarchicum exiguntur in canone 372.

Can. 385

§ 1. Is qui se gravatum censet ex decreto aliquo, etiamsi agatur de decreto quo recursus hierarchicus deceditur, potest ad sectionem administrativam tribunalis competentis recurrere adversus idem decretum quoties contendat violatam esse legem in procedendo vel decidendo vel motiva in decreto allata non esse vera, ceteris casibus omnino exclusis.

§ 2. Recursus proponendus est intra peremptorium terminum triginta dierum a die intimationis decreti computandum, firmo canone 372 § 3.

§ 3. Sectio administrativa tribunalis potest decretum quod illegitimum iudicet, rescindere vel irritum declarare, non autem emendare vel aliter mutare; numquam autem potest de alicuius doctrinae circa fidem vel mores veritate vel errore iudicare.

Can. 386

§ 1. Si forte decretum, quod illegitimum sit ad normam canonis 385 § 1, ius alicuius laeserit, laesus potest ad tribunal administrativum recurrere ad damnorum reparationem petendam; quod si tribunal non debeat etiam de recursu ad normam canonis 385 proposito iudicare, potest quidem de decreti legitimitate vel illegitimitate videre, non autem ad decretum rescindendum vel irritum declarandum, sed tantummodo ad quaestionem de damnis definiendam.

§ 2. Ad recursum hunc proponendum datur terminus peremptorius unius anni, qui decurrit ex die quo damnum factum est, terminus autem tandiu suspensus manet, quandiu coram tribunali administrativo adversus idem decretum pendeat recursus, quocum petitio de damnis reparandis cummulata non sit.

§ 3. Etsi decretum confirmatum vel mutatum sit a Superiore ad normam canonum 376 et 377 de damnis tamen, si forte debeantur, officium eius, qui primum tulit decretum, respondet; officium autem Superioris, qui decretum ad normam eorum canonum mutavit, eatenus respondet, quatenus ex eius decisione et ius subiectivum sit laesum et damna obvenerint.

Can. 387

Firmo canone 382 §§ 1 et 2, sectio administrativa tribunalis primi gradus iudicat per collegia trium iudicum; sectio vero tribunalis secundi gradus per collegia trium vel quinque iudicum, prout tribunalis praeses statuerit.

Can. 388

Iudiciis adesse semper debet promotor iustitiae servato praescripto canonis 40.

Can. 389

§ 1. Quolibet iudicii tempore, si recurrens id petat et gravis causa suadeat, tribunal, audito saltem decreti auctore, motivis expressis decernere potest ut pendente processu executio decreti suspensa maneat, cauto tamen ne quid salus animarum detrimenti capiat.

§ 2. Quoties autem lex statuit ex recursu hierarchico suspendi ipso iure decreti executionem, idem efficitur etiam ex recursu ad tribunal administrativum.

Can. 390

Superior, adversus cuius decretum recursus primum propositus est, iique omnes, praeter recurrentem, quos illud decretum directe attingit, sunt quidem in iudicium vocandi, sed possunt libere a iudicio abesse nisi iudex eos comparere iubeat ut audiantur.

Can. 391

Recepto recursu, iudex quamprimum sessionem indicat, qua:

1° quaestio de incompetencia, si forte oriatur, et exceptiones peremptoriae, quae quidem tres saltem ante dies omnibus partibus significatae sint, ore tractentur et sententia decendantur, nisi omnino necessaria videatur brevissima dilatio;

2° de suspendendo decreto impugnato ad normam canonis 389 § 1 vel de confirmanda vel revocanda suspensione ad normam canonis 373, si casus ferat, decernatur;

3° de probationibus colligendis, si forte necessarium sit, decernatur.

Can. 392

Si tribunal se incompetens iudicaverit, recursus minime caret effectu, sed est statim ad tribunal competens remittendus.

Can. 393

Curet tribunal ut post primam sessionem quamprimum colligantur probationes; testium autem depositionibus partes earumque patroni adesse possunt, nisi tribunal propter graves rationes aliter statuendum censeat.

Can. 394

§ 1. Collectis probationibus et apud tribunalis cancellariam depositis, partes vocandae sunt ad sessionem discussionis, quae, nisi gravis ratio aliud suadeat, ore est facienda.

§ 2. Haec sessio ita, sub poena nullitatis, indicenda est, ut partibus tres saltem dies utiles sint ad probationes inspiciendas et transcribendas; caveatur tamen, quatenus fieri possit, ne hoc intervallum superet quindecim dies, nisi executio decreti primum impugnati sit suspensa et eius auctor in dilationem consentiat.

Can. 395

§ 1. Nisi ex discussione quid supplendum in causae instructione comperiatur, vel aliud existat quod impediat sententiam rite proferre, causa in fine sessionis, de qua in canone 394, decidatur, et dispositiva sententiae pars statim coram partibus praesentibus legatur.

§ 2. Potest autem tribunal propter rei difficultatem vel aliam iustam causam usque ad quintum utilem diem decisionem differre.

§ 3. Integer sententiae textus, motivis expressis, quamprimum, nec ordinarie ultra quindecim dies, partibus notificetur.

Can. 396

Adversus tribunalis administrativi sententias definitivas aliasve decisiones, quae iudicio in aliquo gradu finem ponant, dantur impugnationes ad normam iuris.

Can. 397

§ 1. In ceteris, quae ad rationem procedendi attinent, applicandi sunt, nisi rei natura obstet, Codicis canones de iudiciis in genere ac de iudicio contentioso ordinario, servatis specialibus normis de causis ad bonum publicum spectantibus.

§ 2. Tribunal potest, decreto motivis praedito, normis processualibus quae non sint ad validitatem statutae, derogare, ut celeritati, salva iustitia, consulat.

Can. 398

Rekursus ad sectionem administrativam tribunalis competentis propositus potest, quandiu lis in primo iudicii gradu pendeat, ad Superiorem hierarchicum transferri, si ipse et omnes partes consentiant.

INDEX

Praenotanda	paginae 3-18
TITULUS XXIII	- <i>De iudiciis in genere</i> cann. 1-3
Caput I	De foro competenti » 4-23
Caput II	De ministris tribunalium
Art. I	De Vicario iudiciali, iudicibus et auditoribus » 24-32
Art. II	De promotore iustitiae et vinculi defensore » 33-41
Art. III	De notario et cursoribus » 42-43
Art. IV	De ministris tribunalium ex diversis eparchiis vel ritibus assumendis . . . » 44
Caput III	De officiis iudicum et ministrorum tribunalium » 45-61
Caput IV	De terminis et dilationibus, loco et tempore iudicii » 62-66
Caput V	De personis ad disceptationem iudicalem admittendis et de modo conficiendi et conservandi acta » 67-72
Caput VI	De actore et parte conventa » 73-78
Caput VII	De procuratoribus ad lites et advocatis » 79-89
Caput VIII	De actionibus et exceptionibus . . . » 90-105
Caput IX	De modis evitandi iudicia
Art. I	De transactione » 106-109
Art. II	De compromisso in arbitros » 110-126
TITULUS XXIV	- <i>De iudicio contentioso</i>
Caput I	De iudicio contentioso ordinario
Art. I	De libello lites introductorio » 127-130
Art. II	De citatione et denuntiatione actuum iudicialium » 131-136

Art. III	De litis contestatione »	137-141
Art. IV	De litis instantiae suspensione, peremptione et renuntiatione »	142-149
Art. V	De probationibus »	150-153
	1) De partium declarationibus »	154-162
	2) De probatione per documenta »	163-169
	3) De testibus et attestationibus »	170-171
	a) qui testes esse possint »	172-173
	b) de inducendis et excludendis testibus »	174-178
	c) de testium examine »	179-192
	d) de testimoniorum fide »	193-194
	4) De peritis »	195-203
	5) De accessu et recognitione iudiciali »	204
	6) De praesumptionibus »	205-207
Art. VI	De causis incidentibus »	208-212
	1) De partibus non comparentibus »	213-216
	2) De interventu tertii in causa »	217
	3) De attentatis lite pendente »	218-220
Art. VII	De actorum publicatione, de conclusione in causa et de causae discussione »	221-229
Art. VIII	De iudicis pronuntiationibus »	230-241
Art. IX	De impugnatione sententiae	
	1) De querela nullitatis contra sententiam »	242-249
	2) De appellatione »	250-263
Art. X	De re iudicata et de impugnationibus contra ipsam	
	1) De re iudicata »	264-267
	2) De restitutione in integrum »	268-271
	3) De oppositione tertii »	272-275
Art. XI	De gratuito patrocinio et de expensis iudicialibus »	276-278
Art. XII	De executione sententiae »	279-285
Caput II	De iudicio contentioso summario »	286-302

TITULUS XXV	- <i>De aliquibus specialibus iudiciis</i>	
Caput I	De causis matrimonialibus	
Art. I	De causis ad matrimonii nullitatem de clarandam	
	1) De foro competenti »	303-305
	2) De iure impugnandi matrimonium . »	306-307
	3) De officio iudicum et tribunalis mi- nistrorum »	308-310
	4) De probationibus »	311-313
	5) De sententia et appellatione . . »	314-318
	6) De processu matrimoniali summario »	319-322
	7) Normae generales »	323-325
Art. II	De causis separationis coniugum . . »	326-330
Art. III	De processu praesumptae mortis coniugis »	331
Caput II	De causis contra sacram ordinationem . »	332-333
Caput III	De procedura in parochis amovendis vel transferendis	
Art. I	De modo procedendi in amotione paro- chorum »	334-341
Art. II	De modo procedendi in translatione pa- rochorum »	342-345
TITULUS XXVI	- <i>De processu in sanctionibus poenalibus ferendis</i>	
Caput I	De iudicio ad poenas ecclesiasticas irro- gandas	
Art. I	De praevia investigatione »	346-349
Art. II	De processus evolutione »	350-360
Art. III	De actione ad damna reparanda . . »	361-363
Art. IV	De impugnationibus »	364-366
Caput II	De irrogatione poenarum per decretum extra iudicium »	367-368
TITULUS XXVII (=XXI)	- <i>De recursibus adversus decreta ad- ministrativa</i> »	369
Caput I	De recursu hierarchico »	370-379
Caput II	De recursu ad sectiones administrativas tribunalium »	380-398

NOSTRE INFORMAZIONI

Il giorno 3 marzo 1982 è stato diffuso dalla Redazione Centrale della Radio Vaticana il seguente comunicato stampa di questa Commissione:

A CHE PUNTO E' IL NUOVO CODICE ORIENTALE?

Si tratta di una domanda che ci viene spesso rivolta ed è particolarmente comprensibile in questi mesi di attesa della promulgazione del nuovo Codice per la Chiesa Latina. Per rispondere nel miglior modo possibile ci sembra opportuno delineare in dodici punti l'intero cammino che deve percorrere il nuovo Codice dall'inizio dei lavori della Commissione, cioè dal 10 giugno 1972, data della istituzione della Pontificia Commissione a cui è affidata questa revisione, fino alla sua promulgazione da parte del Sommo Pontefice. L'attento ascoltatore di questa comunicazione saprà formarsi un prudente giudizio circa la difficoltà e serietà dei lavori della Commissione, circa l'ampiezza della consultazione nonché circa i possibili tempi della conclusione dell'intero lavoro di revisione.

Le dodici tappe dell'*iter* a cui è sottoposto il nuovo Codice si possono delineare come segue.

1) La costituzione di Gruppi di Studio nonché la formulazione, da parte dei Membri della Commissione, dei principi direttivi da seguirsi nei lavori di revisione.

2) La stesura di un primo progetto dell'intero Codice, in diversi schemi, ad opera dei Consultori della Commissione divisi in più gruppi di studio.

3) Una prima visione dei singoli schemi da parte delle autorità superiori per ottenere il *nihil obstat* all'invio degli schemi agli organi di consultazione, si intende, sotto la sola responsabilità della Commissione stessa.

4) La stampa dei singoli schemi.

5) L'invio degli schemi agli organi di consultazione, innanzitutto ai Patriarchi e all'intero Episcopato Orientale Cattolico, con la preghiera di inviare le loro osservazioni entro sei mesi.

6) La cosiddetta *denua revisio* degli schemi secondo i desideri degli organi di consultazione, fatta da parte di gruppi speciali di Consultori e di altri esperti nelle singole materie.

7) La stampa del secondo progetto dell'intero Codice.

8) L'invio del secondo progetto ai Membri della Commissione con la preghiera di inviare le loro osservazioni entro un dato limite di tempo (il minimo è di sei mesi).

9) La terza revisione dell'intero progetto secondo i desideri dei membri della Commissione da parte di un gruppo speciale di esperti.

10) La definitiva formulazione dei canoni da parte dei Membri della Commissione, riuniti in una o più sessioni plenarie.

11) L'invio dell'intero progetto approvato dalla riunione plenaria dei Membri della Commissione al Santo Padre.

12) La promulgazione del nuovo Codice.


Evidentemente non tutte le tappe di questo laborioso cammino sono di uguale durata. La prima tappa è durata poco meno di due anni. Infatti i Principi di Revisione sono stati approvati dalla riunione Plenaria dei Membri della Commissione nel mese di marzo 1974.

La seconda tappa, senza dubbio la più laboriosa, ha richiesto circa 6 anni di lavoro e quasi settanta riunioni di gruppi di studio, la maggior parte delle quali ha avuto una durata di due settimane ciascuna. Si può dire che questa fase si è conclusa con il cosiddetto *Coetus Centralis* di aprile 1980, pur notando che qualche schema intanto già era entrato nella terza fase.

L'intero progetto del Codice è stato diviso in otto parti, che non è il caso di specificare in questa sede, poichè si può ricorrere per questo al nostro bollettino *Nuntia* oppure alle relazioni sull'operato della Commissione che appaiono nel libro intitolato « L'attività della Santa Sede ».

Va segnalato, per quanto riguarda le fasi successive, che non tutti gli schemi sono allo stesso stadio. La Commissione è oramai fortemente impegnata nella *denua revisio* degli schemi, per la quale i tempi si prevedono meno lunghi che non per la prima composizione di essi, benchè non sembra inutile notare in questo contesto che durante questa *denua revisio* molti testi dei canoni subiscono dei cambiamenti, spesso tali da richiedere una riformulazione *ex integro* in modo da farli corrispondere ai desideri degli organi di consultazione.

Per quanto riguarda le quattro fasi successive (n. 7, 8, 9, 10) che comprendono i tempi necessari per la formulazione del terzo schema del Codice da parte dei Membri della Commissione, non si prevedono tempi eccessivamente lunghi, pur non essendo possibile, al momento, prevedere una data approssimativa per la presentazione al Santo Padre dell'intero Codice Orientale approvato dai Membri della Commissione (fase 11), mentre i modi e i tempi di promulgazione di questo Codice (fase 12) saranno, evidentemente, determinati solo dal Santo Padre.



LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

c/c post. 00774000

SYNODUS EPISCOPORUM DE RECONCILIATIONE ET PAENITENTIA IN MISSIONE ECCLESIAE LINEAMENTA

Tema designato dal Santo Padre per la Sesta Assemblea Generale del Sinodo dei Vescovi.

Testo in lingua italiana, latina, francese, inglese, portoghese, spagnola, tedesca.
Fascicoli formato cm. 18×27 di pp. 54, per ogni lingua *Lit. 1.500*



GIANFRANCO NOLLI - EMILIO GRECO APOCRIFI BIBLICI MODERNI

1980, in-8°, pp. 160

Lit. 10.000



GIANFRANCO NOLLI - VIRGILIO GUIDI APOCRIFI BIBLICI MODERNI

1981, in-8°, pp. 184

Lit. 10.000

NUNTIA

Commentarium cura et studio

PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI ORIENTALIS RECOGNOSCENDO
editum

prodibit bis in anno et quoties utilitas id postulare videbitur



Directio: penes Pontificiam Commissionem Codici Iuris Canonici Orientalis Recognoscendo

Direction et rédaction: Commission Pontificale pour la révision du code de Droit canon oriental

(Via della Conciliazione 34, 00193 Roma)

Administration: Libreria Editrice Vaticana, Città del Vaticano
(c.c.p. N. 00774000)

	Abbonamento annuo Abonnement annuel Annual subscription	Annate arretrate Années précédentes Past years
Italia	L. 9.000	L. 13.000
Extra Italia	L. 11.000	L. 13.000

LIBRERIA EDITRICE VATICANA

CITTÀ DEL VATICANO

c/c post. 00774000

INSEGNAMENTI DI GIOVANNI PAOLO II

Volume IV, 1 - 1981 (gennaio-giugno)

rilegato in cartone e Imitlin, formato cm. 17×24, di pp. xxxi-1296

Lit. 35.000



GIOVANNI PAOLO II

LABOREM EXERCENS

L'ENCICLOPEDIA SUL LAVORO NEL COMMENTO DI:

C. CAFFARA - F. CHARRIER - S. CIPRIANI
G. D'ASCENZI - J. DEGENHARDT - A. FERRARI-TONIOLO
R. HECKEL - J. HÖFFNER - R. JERVOLINO-RUSSO
J. JOBLIN - G. MARTELET - C. M. MARTINI
P. PAVAN - S. QUADRI - J. SARAIVA MARTINS
J. SCHOTTE - R. SPIAZZI G. TESSAROLO
D. TETTAMANZI - R. ZAVALLONI

Con nota introduttiva di Valerio Volpini

pp. 344 Collana « Pastorale » VI

Lit. 8.500



ANNUARIO PONTIFICIO 1982

Pubblicazione rilegata in tela rossa di pp. 2032 formato cm. 11×17

Lit. 35.000



ALCIDE DE GASPERI

SCRITTI DI POLITICA INTERNAZIONALE

1933-1938

Presentazione di

GABRIELE DE ROSA

Due volumi, per complessive 756 pagine, f. in-8°, corredati da indici

Collana « Storia e attualità », III

Lit. 25.000